

Inter libros
Josephi Mariæ Parascandolo
Antecessoris Regii

A. L. N.

DE RE BENEFICIARIA LIBER SINGULARIS,

SIVE

QUÆSTIONIS CELEBRIS ET DIFFICILIS,

An & quibus in casibus liceat homini Christiano absque culpà & peccato plura Beneficia Ecclesiastica possidere,

ἈΝΑ΄ΚΡΙΣΙΣ.

Curâ & studio Theologi Parisiensis Abbatis Sidichembechensis.

Boileau

MDCCX.

CHRISTIANO
ET ERUDITO LECTORI
PRÆLOQUIUM.

CUM ab ineunte ætate Reipublicæ Literariæ apud omnes viros doctos & eruditos nullus dubitandi locus relictus ſit, quin omne ſtudium ut cumque laborioſum & ſalebroſum evaſerit, futile & ſupervacaneum extiterit, quod ſcopum veritatis & ſapientiæ non ſpectat, ſed ad gloriam & vanam viri ſapientis larvam affatim & inſolenter enititur: duo impedimenta faciliter, & qui-

dem infeliciter, erumpere viſa ſunt nè veritatis metam laborioſus & moroſus Theologus aſſequeretur & obſcuræ & ſacræ antiquitatis viſcera penetraret. In his enim ſimplex recondita veritas ſtudio & cupiditate viris flagrantibus, ſeipſam occulit, zeli pallio, ſuam non ſentiens nuditatem æſtuantis & exacerbatæ pietatis oculorum aciem perſtringit. Primum igitur in inveniendâ ſecurè veritate impedimentum eſt zelus, ut vocant, inconditus & inconſideratus, ſeû ſpecies perſonatæ pietatis & flagrantis, capta veræ lumine ſcientiæ, quæ in vanam ſuperſtitionem inſtigatione delirantis naturæ & opinionis anticipatæ de-

generat ; quâ nihil facilius indoctorum hominum multitudinem regit ac vincit, cujus in pulvere sulcos diducit; germinat speciosum sed pessimum administrandæ Reipublicæ genus scilicet quod confestim optimum semper desiderat. Alterum verò est ipsa vanitas cordis & mentis humanæ ut & incogitabilis gloria, quâ reverà homo naturæ veterno consopitus nihil scire desiderat, sed ut se scire sciant ac sibi persuadeant viri docti sua peritia singulari in hoc casu imperiti ac delusi, in quorum ore, linguâ, scriptis, & lucubrationibus virorum Literatorum integra & omnibus numeris absoluta nominis excellentia consis-

tere videtur & permanere. Utcumque res ſint his Agyrtarum ſpecie Literatorum hominum longioribus mæandris viros verè pios ad ſcientiam ſanctorum anhelantes à recto curriculo humilitatis Chriſtianæ quæ eſt æternæ veritatis filia primogenita & contubernalis individua, adeò deflectere neceſſe eſt, ut ad eam numquam ſecurè poſſint pervenire. Inſuper etiam non ſolùm opus verumetiam neceſſarium eſt veritatis ſincerum amatorem interritum exiſtere adverſus conſequentes horribiles & pertimeſcendos caſus, res adverſas & non conſolabiles quæ ex ſemel inventâ & repertâ veritate erumpere & exoriri ſolent.

Eâ quippè ſemel benè ac ſecurè confirmatâ caſus adverſos immodicè ferre non ſolùm ſupervacaneum eſt in conſpectu hominum, verùm etiam turpe, probroſum & inane. Enimverò ſi recto corde in memoriam hominum revocemus & retorqueamus incommoda & conſectanea quæ religioni Judaicæ à Moſe Deo inſpirante & facie ad faciem colloquente inſtitutæ conſecuta ſunt, rerum faciem in orbe univerſo mutatam & ritus Deorum alienorum in ſtercora tranſlatos quis non obſtupeſcat, aut præ timore ſpectaculi tam ſtupendi non areſcat! Quis verò idem prorſus in Religionis Chriſtianæ ritu confirmando aut ſta-

biliendo contigiſſe non perſpiciat? Hoc autem rebus Theologicis proprium & commune eſt ut poſtpoſitis omnibus & indiſcriminatìm conſequentibus ex ſtabilitâ veritate caſibus, eorum nulla omninò ratio habenda ſit, immò ſine ullo diſcrimine vani & futiles reputandi ſunt. Hæc enim certa conſtanſque diferentia ſemper fuit à viris ſcientiâ ſanctorum exornatis inter politicum hominem & virum Theologum adnota; ut politicus tempori ſerviat, tempus verò Theologo, unde illud axioma in ethicâ *Præterquam quod alia tempora alios mores poſtulant.* Politicus conſectaneos fortunæ caſus prævideat & præpediat, quoad ejus

fieri poteſt ; Theologus verò aperto marte, irruentes contra veritatem, quam uſque ad effuſionem ſanguinis tuendam habet, peſſumdet & flocci faciat. Ego verò, Lector cariſſime, his ſuffultus præſidiis & cogitationibus, Sacræ Theologiæ primogenitam omnibus amabilem, ſed non omnibus adamatam veritatem, ut ſpero & confido, tuendam recepi in hac quæſtionis ſingularis ac difficilis quam præmanibus habes ἀνάκεισι, de condenſatione Beneficiorum quam prima fronte poſſe defendi aut recipi ex hiſtoricis monumentis benè ac firmiter conſtitui. Continenter verò difficultates erumpentes firma veritate permanens.

uti parùm aut nihil attinentes relinquendas putavi quas expungendas penes Ecclesiasticam authoritatem Christus esse voluit, quam supra petram, quæ est ipse Christus, fundavit. At verò istiusmodi quæstio Theologica, an liceat uni homini quibusdam in casibus plura Beneficia sibi comparare & possidere, scholas Theologicas occupavit ab eo tempore quo animorum virgindemia, disciplina scholastica subselliorum Theologicorum evasit Magistra. Miracula & portenta multitudine innumerabilia eâ de causâ referuntur apud authores magni nominis & fide dignos, quos & fecisse scribenda & scripsisse legenda non du-

bitandum eſt. Ibidem frequentes incurrunt apparitiones mortuorum hominum & reviviſcentium, & quæſtionem de multitudine Beneficiorum & redundantiâ mirifice dirimentium. Nec deſunt Cancellarii ampliſſimi ſanctæ Eccleſiæ & florentiſſimæ Academiæ Pariſienſis diabolo devoti & in Tartara nigra disjecti, quia furor eorum in pluralitatis, ſi ità barbarè loqui fas eſt, defenſione fuerat pertinax. Quinquaginta & ab hinc amplius annis Academiæ Pariſienſis Rector ampliſſimus opuſculum de hac materiâ tantulùm ſcripſit calamo ſulphure temperato, à Doctoribus Theologis viris probis & doctiſſimis

ritè approbatum, cujus præcipua argumenta & exempla ad examen revocanda censuit qui mihi fuit author hujusce lucubrationis scribendæ solitario ductus amore & studio veritatis flagrantissimo. Insuper, in magnum anonymi Episcopi cujusdam opprobrium & dedecus, quibusdam ab hinc annis: paucis quidem & recentioribus, scilicet annis XIV, in vulgus emissa est Doctorum Parisiensium quorumdam consultatio, nec annuente, nec abnuente, sed inconsulto senatu Sacræ Facultatis sub titulo Gallico & Vernaculo decisionis Sorbonicæ de pluralitate Beneficiorum, impressa Parisiis apud JOANNEM BAPTIS-

TAM COIGNARD, Regis Typographum, viâ Jacobæa ſub ſigno Bibliorum aureorum, anno MDCLXXXXVII. nec obtento Privilegio Regis, nec acceptâ licentiâ metuendiſſimi Prætoris Urbani Pariſiis Politiæ præfecti, aut expreſſâ; quæ diſquiſitionis autorem, quam præ manibus habes, vehementer excitavit, adeoque applicata voluntate aſtrinxit: ut veluti Gallina ruſpans grana tritici in area ſubruſtica & agreſti ſe cohibere non potuerit quin Doctores ſelectos Cenſores, inter quos magni nominis fulgent MORTIER ET PREVOST, qui conſultationi ſubſcripſerunt XVI. Kalend. Augusti MDCLXXXXVII. velut aqui-

las capientes muſcas dilucidè intellexerit, adeò ut ipſe evaſerit illa, quæ *Glotorat immenſo de Turre Ciconia roſtro.* Inſuper his Doctoribus piis viris & paſsìm doctis hominibus parare præſidium & offerre patrocinium viſus fuerat homo, hypercriticus panopliâ ſuperſtitionis Calvinianæ induſiatus; cùm anno MDCLXXXVIII. Lugduni Batavorum apud Petrum VANDER AA. adverſaria ſacra publici juris fecit Docti patris Matthæi Larroquani filius, patri literariis non impar meritis, jam Catholicæ ſeû Romanæ partis ſcriptor Daniel Larroquanus, in quibus libro II. capite XXXIX. pag. 369. Beneficiorum multitudi-

nem perſtringit & eruditis ſalibus defricat. Verùm hæc omnia & alia plura hujus lucubrationis author ἀνάκειον ſincerâ revulſit ſolitariæ veritatis amore accenſus, omni patrocinio immunis & expers cupiditatis, ambitionis, aut avaritiæ omnium malorum radicis. Hæc ſanctæ ſedi Apoſtolicæ ſeû ſanctiſſimo Papæ viſibili Eccleſiæ capiti ſubmiſſa voluit & ſincerè ſubmiſit ut & Sacræ Facultati Theologiæ Pariſienſi liberè congregatæ, ſi judicio cenſorio & doctrinali, ut loquuntur, hoc opuſculum notare & recenſere velit. Enimverò hujus opuſculi author obediens filius ſupplicat, ut Deus exſurgere velit & judicare cau-

ſam, paratus, ſi ejus rogationi non abnuerit, omnes gradus antiquæ & ſolemnis pœnitentiæ aperto nomine nec cælata perſonæ amplitudine utcumque fortè fulgeat, ritè peragrare, ſponſione facta promittit & prono ſubſcribens animo articulo XXIII. à Sacra Facultate, omnibus Galliæ Chriſtianæ propalàm probantibus ordinibus, conceptis verbis ſic expreſſo, contra Lutherum. *Certum eſt unum eſſe jure Divino ſummum in Eccleſia militante Pontificem cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* Quod cum humiliter, Chriſtiane & erudite Lector, expectem, quicquid de re Beneficiaria tàm difficili quàm ardua non juxta meam, ſed juxta

Sanctorum Patrum & Doctorum orthodoxorum mentem prodidi, ex Apostolicæ sedis, Ecclesiæque Romanæ matris meæ judicio sententiâ que suspendo, ut illud jam teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnē & anathematisem si damnandum aut anathematisandum judicaverit. Nam, quemadmodum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac sedis Apostolicæ mysteriis infantulus initiatus ac ejus fide cum lacte matris imbutus fui & crevi & adolevi & senui, nec ab eâ ad latum unguem, quod sciam, animo aut facto, aut sermone, in operibus & libris quos ut cumque scripserim deflexi: ità porrò ad extremum usque

ſpiritum vivere ac Deo adjuvante mori divinoque judicio ſiſti mihi conſtitutum eſt, ut juxta ſacratiſſimam ejus regulam, quæ à temporibus Apoſtolorum per ſucceſſionem continuam Romanorum Pontificum per univerſum orbem prædicata & credita eſt, referam à Dei miſericordia aut juſtitia bonum aut malum. Inſuper quâ fide quâve libertate ſcripſerim ſupervacaneum eſſet anxiùs præfari; quippè cùm veri amorem etiam qui minus amant, æque præ ſe ferre videantur, omnibus ac ſæpenumerò nulli jactantiùs ſuam fidem obligent quàm qui maximè violant. Eos igitur rogatos Lectores opto, qui lucubratio-

nes nostras sua cura dignabuntur, ut qualem mihi adscribendum jure postulant animum partium securum mediumque: talem ipsi à factionibus liberum adferant ad legendum. Postquam errata Typographica hîc castigate subjecta, tersè & eleganter emendaverint, memores Augustiniani Consilii libro de spiritu & litera conceptis verbis expressi.

Quantum ego judicare possum non multùm erratur, nec perniciosè, quum quadam quisque benevolentiâ fallitur.

INDEX
CAPITUM.

DE

DE

RE BENEFICIARIA

LIBER SINGULARIS,

SIVE

Quæstionis celebris ac difficilis, an & quibus in casibus liceat homini Christiano absque culpâ & peccato, plura Beneficia Ecclesiastica possidere.

ἈΝΑΧΡΙΣΙΣ.

CAPUT PRIMUM.

De diversis generibus Beneficiorum, variis artibus acquirendorum, usu vel abusu fructuum seu bonorum Ecclesiasticorum.

ÆQUUM animum & liberum applicanti mihi ad scribendam historiam multitudinis Beneficiorum, priusquam intima & recondita viscera antiqui-

tatis penetrem, & tam rudem indigestamque materiam expolire aggrediar, & anquirere an bonâ fide & absque culpâ, plura uni homini Sacerdotia comparare & conjunctìm possidere liceat; non solùm opus verùm etiam necesse est intelligere, quid in se reverâ sit Beneficium, quot genera speciesque consistant Beneficiorum in rerum naturâ, quibus Officiis Possessores adstringant & Servitiis obligent, quâ ratione obtineri aut comparari possint & in quos usus bona ex iis erumpentia converti aut transferri debeant.

Ad hæc quinque capita multis rationibus probanda aut sigillatìm amplificatis confirmanda, reverà tamen nulla mihi curatio est aut applicata voluntas: sed ea solùm ob oculos ponere aut subjicere consilium cœpi tamquam vera & conducibilia, ad rem Beneficiariam quam tractamus penitùs perspiciendam necessaria; quippè cùm ad hoc studium Theo-

logi μεγαλωνύμοι, non paucis ab hinc annis ſolerter & feliciter incubuiſſe videantur, quibus cum non ſim comparandus.

I. Nè igitur ab aliis ſcriptoribus benè ac rotundè tornatum opus incudi reddere videar, ac librum dictis priùs amplificare; ſubjicio Beneficium, ut cumque jam res Eccleſiæ conſiſtant, non exiſtere, præter jus adimplendi functiones ſeû penſitationes Eccleſiaſtico muneri addictas aut miniſterio adſtrictas, atque hominibus impoſitas, quos Chriſtus fore ſucceſſores inſtituit Miniſtrorum, quos ipſe primulùm creavit, ſeu principio Chriſtiani ritus inſtituere & procreare in ſuæ Eccleſiæ poteſtate ſubinde reliquit, poſtquam ipſe revixit & in cœlos aſcendit.

Ad ejuſmodi jus alterum accedit percipiendi proventus annuos, & annonam ad mercedem laboris & operæ pretium jure naturali Miniſtris altaris ad ſcriptum & adjudicatum:

Quos, quippe cùm altari ſerviant, & de altari vivere debeant, propriis ſtipendiis militare ac Rempublicam ſumptibus ſuis defendere jura vetant. Nemo quiſquam neſcit, ab origine rerum Chriſtianarum ejuſmodi fructus, non in prædiis aut fundis agrariis, aut fœnore trapeſitico, ære credito, aut vectigalibus conſtitiſſe, fiſco & portoriis; ſed in oblationibus fidelium, quæ temporibus Apoſtolicis initium habuerant, cùm ad pedes Apoſtolorum bona ſua fortunaſque omnes ad ferebant qui ſocietati Chriſtianæ nomen dederant: uti intelligimus ex actibus Apoſtolorum. Verùm enim verò licet ejuſmodi bonorum ſpecies immutata ſit, & extra metas paupertatis Chriſtianæ vehementer excreverit, verumtamen in eadem naturâ & veritate ſubſtitiſſe conſtat. Quippè cùm hac bona permanſerint in perpetuum, vota fidelium & patrimonium pauperum, nec eis ad ſuſtendandam vanitatem, aut

fovendam cupiditatem fas ſit abuti, aut eadem in lubricas Sathanæ pompas transferre, quas ſolemni ritu in fonte Baptiſmatis omnes Chriſtiani repudiarunt & ejurarunt, impoſitis pœnis graviſſimis omnibus Chriſti Miniſtris vi Canonum & Conciliorum Eccleſiæ Catholicæ.

II. Cùm Beneficium reverâ ſit jus capeſſendi Miniſterii ſeu ſervitii Eccleſiaſtici, tot in principio Beneficia extiterunt, quot miniſteria & functiones explendæ permanſerunt. Ineunte ætate Chriſtiani ritus Solitarii occurrunt Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi, continenti tempore Paſtores, Rectores, & Curati nuncupati, ſubinde Ypodiaconi, Acolythi, Clerici, Cantores, Abbates, Priores, Decani, Canonici, Archidiaconi, ceteriſque Dignitatibus & Titulis exornati homines virique prodierunt, quorum inſtitutionem in Eccleſiæ poteſtate Chriſtus reliquerat. Cùm igitur principio rerum Chriſtianarum nul-

lum extiterit Officium vel Beneficium prorsus functionis ac laboris expers, nullusque minister quin fuerit sui muneris occupatione implicatus ac residentiâ & assiduitate distentus, nullum possumus ex principio primùm intelligere Beneficium quod non fuerit illi residentiæ & assiduitati obnoxium, adeoque alteri repugnans & insociabile. His de causis fieri non potest, ut qui Parisiis Pastor existit & curatus æquabiliter Rothomagi consistat, Episcopus Altissiodorensis unâ fiat Biterrensis & Cœnomanensis. Verumtamen nemini homini dubium superesse potest quin continuis temporibus innumerabilia Beneficia suis functionibus adeò caruerint, non abnuente Ecclesia suppressis, ut eorum possessoribus nihil agendum superfuisse videatur præter otium cum Dignitate connectendum.

Istiusmodi sunt Beneficia quæ vocantur simplicia & in fiduciam, aut commendam ut vocant obtinentur

& imposito solitariæ tonsuræ sacræ, seu clericalis ritu procurantur. Neutiquàm dubito quin ejusmodi fiduciarum ac Beneficiorum autores gravissimè peccaverint ac præter ejusmodi culpam & peccatum nihil fortè magis horribile ac pertimescendum Christianis hominibus accidere potuerit. Sed ut cumque res sint, fiducias ac commendas admittere & sustinere placuit Ecclesiæ Catholicæ easque ad amussim formatæ disciplinæ remollire. Quippè nunc vi Bullarum ab Apostolicâ Sede, & Diplomatum à Rege Christianissimo emissorum pinguiora Sacerdotia, quæ vocantur Abbatiæ & Prioratus, postposito & abdicato Monachorum regimine & curâ, à viris pietate & scientiâ insignioribus possidentur affatìm, nemine reluctante, immò propalam probantibus omnibus bonis eaque Beneficia sibi oblata & collata neutiquàm repudiantibus. Nusquam iterùm dubito gravis peccati contu-

meliâ nomen ſuum inquinaſſe, qui Beneficia Eccleſiaſtica ad turpes ejuſmodi Anguſtias primulùm adduxerunt. Sed quicquid ſit, iſta Beneficia ſimplicia & commendata ſeû fiduciaria, Eccleſia probare & ſua authoritate roborare non renuit, immò eorum uſum accepit & amplexata eſt. Quippè viri pietate & ſcientiâ illuſtriores, hanc aſceſim admiſere libenter. Idque adeò perſpicuum eſt, ut nulla res infirmare poſſit: Quamvis fateri neceſſe ſit ex mente Eccleſiæ non omni prorſus onere, aut functione reverâ ejuſmodi Beneficia penitùs carere.

III. Nullus enim ex hominibus Beneficio ſeû Sacerdotio exornatus Abbas aut Prior, nuncupatus barbare *Commendatarius*, exiſtit: quin celebs & mulierum expers & abſtinens à quacumque venere vivere debeat, non ſecus ac homo religiosè cucullatus, qui ſpurciſſimo peccato, lege celibatus violatâ, inquinatur. Inſu-

per qualibet die ſacras preces horarii Codicis reddere tenetur applicatâ mente, & animo attento, inſtar hominis ſacri, vitam ducere debet Cleri ſanctimoniâ dilucidam, Sathanæ pompis luxuque carentem, peſſumdatâ & evulſâ cupiditate vitiorum omnium infauſtâ radice, exquâ præter culpam & peccatum nihil erumpere poſſit. Præterea lex erogandæ liberaliter elemoſynæ arctiùs impoſita eſt, quàm Eccleſiæ bona, jure ſingulari, vota ſint Fidelium & patrimonium pauperum, & Beneficio preſſus homo ex titulo & apice Beneficii, pauperum tutor & ſervus Eccleſiæ intelligatur. Hoc verò munere & functione Monachi ſingulatìm, ſtatus habitâ ratione, exonerantur. Quippè cùm eis omni pecuniæ & æris alieni contactu etiam tenuiſſimi & uſu, ex ritu Chriſtianorum interdictum ſit. Verùm ejuſmodi Beneficiorum officiis in quolibet loco & ubilibet aguntur homines Chriſtiani

& ſacri, & cùm aſſiduitatem & reſidentiam non exigant aut impoſitam habeant Beneficia ſimplicia, nec inſociabilia nec ut loquantur δυσάνεκτα, *ſeû incompatibilia* reddunt cum aliis Beneficiis, quæ poſſeſſores reſidentiæ ſeverioris lege perſtringunt. Exempli gratiâ, nihil vetat Curatum Abbatiâ aut Prioratu exornari, idemque dictum puta de Canonico Decano, aut Archidiacono de Abbate & Priore, qui ſua Beneficia in commendam, ut loquantur, obtinent. Quæcum ita ſint neceſſe eſt fateri quædam Beneficia eſſe aliis magis ſociabilia, quæ habita ratione functionum & reſidentiæ adhærentium, cum aliis conſortione neutiquàm connecti poſſe videntur. Plures Abbatiæ aut Prioratus in commendam obtenti non videntur, propter repugnantiam functionum, aut reſidentiæ inſociabiles inter ſe, nec cum Canonicatibus, Epiſcopatibus, aut curis Parœchialibus. Igitur maturâ cogita-

tione reputandum nobis incumbet, continenti hujus libri ſermone, quo ex loco repugnantia, ſi quæſit, erumpat inter ea Beneficia functiones diverſas & aſſiduitatem exigentia. Quippè non erit mihi difficile antiquis & authenticis exemplis demonſtrare, non ſemper ex functionibus diverſis & reſidentiâ, ortam eſſe inter Epiſcopatus, Abbatias, Canonicatus, & Curas Parochiales repugnantiam, cum præſertim ea Beneficia viri ſancti & homines docti, ſimul aggregare & unà poſſidere omni ſcrupulo poſtpoſito, ac ſollicitudinis aculeo, in ſervitium, gloriam & honorem Reipublicæ Chriſtianæ non abnuerint.

IV. Sumo etiam ad hanc materiam enucleandam, de re Beneficiariâ, multitudinem ſeû condenſationem Beneficiorum coaleſcere ex Sacerdotiis jure ac ſine fraude comparatis, ſine ſimoniacâ labe collatis, non ſedulis rogationibus extortis, ſed ſolis

meritis delatis, omni mercedis & operæ pretii ac servitii ratione postpositâ. Supervacuum enim & futile videretur anquirere an plura Beneficia malis artibus sibi comparare liceat, quippè cùm ne unicum quidem industriâ protervâ, acquirere fas sit, & hominibus Christianis ejusmodi generis Beneficiis collectìm & singulatìm æquabiliter interdictum sit. Ista quippè proterva redundantia, res semper capitalis existit, ex radice cupiditatis erumpens, quæ ut, inquit, Augustinus, & causa est & pœna peccati.

V. Insuper recognoscere necesse est plurium Beneficiorum possessorem à seipso reputatum iri patrimonii pauperum tutorem & administratorem, nec quidquam insumere cupientem ex bonis & fructibus è caudice Beneficii erumpentibus præter victum & vestitum honestum, subductâ ratione conditionis & amplitudinis. Igitur qui rem Beneficiariam

tractat, ſibi perſuadeat neceſſe eſt, nihil magis horribile ac pertimeſcendum accidere poſſe quam Eccleſiaſtica bona in ſupervacaneam & lubricam inanium rerum ſuppellectilem transferre, & ſumptus venaticos & mulieroſos, probroſamque vanitatem contracta tenuitate ſuſtentare. Immò verò vitæ rationem ducant. Et Epiſcopi, & Abbates, & majorum urbium Paſtores & Canonici ſibi ſacris Canonibus præſcriptum, in Concilio Tridentino. Enim verò quicumque vitam ejuſmodi ducere renuunt æquabiliter indigni, ab unitate Beneficii & plurium condenſatione arcendi ſunt. Bona enim eccleſiaſtica quibus poſſeſſor & tutor intemperanter abutitur, ſupervacanea ſunt & ſuper fluunt ad pauperes pertinent. In hanc rem non opus eſt proferre Sanctorum Hieronymi, Auguſtini & Bernardi effata quæ omnibus nota & abundanter perſpecta ſunt. Mihi verò ſufficit ſi tuendam Beneficiorum multitudi-

nem & coagmentationem receperim, ut ex hoc qualicumque opere Lectores sinceri intelligant, sermonem meum non esse hominum assentantium imbecillitati, aut indulgentium mollitudini ac illecebris cupiditatis. Non enim minus probrosus & capitalis est unius Beneficii perversus usus quam plurium. Unicum & solitarium Beneficium densiori pondere avaritiæ desiderari & comparari potest quam plura. Quippe cùm aliquando unicum, pinguius & locupletius sit, pluribus, & fortè viginti aliis, adeóque vehementius avaritiæ indulgeat, & cupiditatem irritet pluribus. Quæ cum ita sint nihil jam superesse videtur præter statum quæstionis benè & prudenter subjiciendum.

CAPUT II.

Status quæstionis de unitate, multitudine, ac redundantiâ Beneficiorum exponitur.

I. NULLUS dubitandi locus relinquitur, quin usus valdè perversus irrepserit in multiplicationem Beneficiorum. Quippe avaritiæ crimine fædant se vehementer qui plurium numero obruantur, quorum tenuissimum ad vitam honestam viri nobilis aut literati hominis sufficeret. Ejusmodi grassatorum hominum genus sacrum atque horribile est, qui suam vanitatem votis fidelium ac succo pauperum sustentant, & ambitionem depascuntur. Lupi sunt rapaces Ovile Domini populati, & feræ truces eradicantes vineam Christi. Nemini homini Christiano in mentem unquam venisse puto ejusmodi Beneficiorum condensationem defendere. Sed magnum discrimen intelligere

necesse est inter multitudinem Beneficiorum & ejusdem intemperantem abusum, inter redundantiam superfluentem & ipsam multitudinem. Unico non secus ac pluribus potest quilibet abuti Beneficio, cum præsertim Sacerdotium pingue & fructuosum est. Potestque redundantia & superfluenti copia laborare divitiarum homo in unico Beneficio non secus ac in pluribus, quorum fructibus suam voluptatem & ambitionem alit & fovet. Quæstio igitur in præsens discutienda consistit, an homo qui benè & prudenter fructuoso quæstu plurium Beneficiorum non insociabilium uteretur relictis omnibus sæculi pompis, in danda elemosyna liberalis, vir pius & non mulierosus, applicatæ mentis & cordis in solutione pensi horarum Canonicarum, sacris ritè frequenter & assiduè receptis; ex multitudine præcisè & multiplicium Beneficiorum procuratione, evaderet culpæ mortalis conscius,

conſcius, & criminis contumeliâ inquinatus. Vidimus ætate noſtra viros magnos ſcientiâ & pietate illuſtres, qui in hac Beneficiorum multitudine vivere & mori non timuerunt; Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Berullus Oratorii Domine Jeſu Inſtitutor & Præfectus Generalis, agglomeraverat in ſeipſo nulla inſtigatione cupiditatis aut avaritiæ Abbatiam S. Luciani Bellovacenſis, cum Abbatiâ Majoris Monaſterii Turonenſis ad ſuſtentandam eminentem amplitudinem Sancti Patris purpurati. Sanctus & pius Epiſcopus Andegavenſis, Henricus Arnaldus qui continenti tempore viginti octo annorum Epiſcopatus ſui, metas Diœceſis neutiquam exceſſit, Epiſcopatui Andegavenſi, Abbatiam S. Nicolai adjunxit. Guillelmus Regius Abbas Beatæ Mariæ Altifontis in Diœceſi Cathalaunenſi, alteram Abbatiam S. Nicolai Virdunenſis aſſociavit. Octavius de Bellegarde Archiepiſcopus

Senonensis Spiritu Consilii & fortitudinis unà cum Archiepiscopatu possedit Abbatias Vallis Lucentis in Diœcesi Senonensi, Sancti Germani Altissiodorensis, Potierii in Lingonensi. Vestigia ejus ingenuinavit vigilantissimus Episcopus Trenensis, Franciscus Mallier, vir si unquam fuit, rectus simplex ac timens Deum, Abbatiam Sancti Petri Melodunensis ad Episcopatum aggregavit. Infinita exempla facile proderem antecedentium ætatum quibus fiduciæ & commendæ Beneficiorum nondum eruperant, nec functiones Prioratum & Abbatiarum extinctæ fuerant, nec ullum erat Beneficium aut potius Sacerdotium à residentiâ & assiduitate liberum.

II. Equidem scio ex ejusmodi exemplis assumi non posse argumenta decretoria & demonstrativa in gratiam multitudinis seû aggregationis Beneficiorum, sed ex iis saltem conjecturæ trahi possunt rationabi-

les, non ut ex pumice aqua, ad tuendam ſententiam Beneficiorum multitudini propitiam. De cætero fateri neceſſe eſt in Beneficii unitate permanſionem ac multitudinis repudiationem, eſſe magni operis perfectionem & virtutis abſolutionem ſummâ laude & commendatione digniſſimam, uti contigit Cardinali Ægidio Albornotio, qui inter Patres Purpuratos Romanæ Eccleſiæ Cooptatus Archiepiſcopatu Toletano ſe abdicavit. Amor quippe paupertatis ſingularem gloriam ritus Chriſtiani parit amori Chriſti ac charitati indiviſus à quibus divini diſtrahique non poteſt. Hic amor paupertatis omnes Chriſtianos ſpectat ſive in Ordine Laïco, ſive in Eccleſiaſtico conſtitutos. Nemini enim cuiquam dubium ſubolere poteſt quin æquabilis perfectio ſit hominis bonis ſe ac fortunis abdicantis, ſive profani ſive ſacri. Hac igitur quæſtio diſcutienda in præſens non incurrit, ſed an benè

vel malè ab eodem homine plura Beneficia comparentur, quorum functiones nullam præ se ferunt repugnantiam, nec in gratiam avaritiæ aut cupiditatis procurantur, sed in gloriam & servitium Ecclesiæ fructus usu recto & temperanti in solatia & fomenta pauperum & miserorum transferuntur ut oportet.

CAPUT III.

Explicatur sententia Sancti Basilii Magni Archi-episcopi Cæsareæ in Cappadociâ de multitudine Beneficiorum.

I. VERBULUM *Beneficii*, quo munera & Officia Ecclesiastica significantur, cùm hujusce Patris & magni Doctoris, qui obiit Kalendis Januarii anni Christi CCCLXXIX, ætate nondum in usu positum esset: nobis persuadere non oportet, in ejus operibus dictiones affatim reperiri proprias, & decretorias ex quibus

perſpectam habeamus, ſine caligine ſententiam tanti Doctoris, non ſolum de multiplicatione Beneficiorum; verum etiam de pluribus aliis Theologiæ Chriſtianæ capitibus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Sed cùm inficias ire non potis ſit, in ea ſuaſione fuiſſe ſanctum virum, ut non dubitaverit amplitudine & Provinciâ Epiſcopali homines exornatos ad varias functiones & ventilationes adſtringi: non erit difficile intelligere ex ejus ſermone, utrum variæ functiones hæc munera & Officia quæ Beneficiorum nomen continuo tempore ſortita ſunt, repugnantia & contraria reddiderint ſeû inſociabilia. Ex his enim perſpectum habere non erit difficile, an ſibi perſuaſerit poſſeſſorem unius Beneficii non poſſe illud nec debere alterius omiſſione cumulare, & repugnantes functiones una conciliare, vel ſaltem non divincere.

II. Nulli veterum Patrum dubium

suboluit quin Episcopi & Pastores Verbum Dei prædicare, Baptismum & Euchariſtiam aliaque Sacramenta blebi Christianæ administrare tenerentur. Sciebant veteres totam pœnitentiæ œconomiam penes Episcopos existere sive publicæ, sive privatæ. Jam verò si res ita sint, anquiramus an Minister seû Pastor Ecclesiæ, his functionibus, in uno loco Ecclesiâ scilicet aut Diœcesi adstrictus, potuit etiam in altero absque maculâ aut contumeliâ peccati avaritiæ, aut ambitionis onerari. Hæc intelligere facile est ex duabus literis sancti Basilii scilicet 290. & 292. relatis, tom. II. operum pag. 1055. & 1057. Ex his enim perspectum habemus sanctum Episcopum Coloniæ cui nomen erat Euphronio, & Deo dilectissimus appellatur, ad Sedem Nicopoleos ejusdem Provinciâ evectum fuisse non relictâ Cathedrâ, nec cura Coloniæ, θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος Εὐφρόνιος Κολωνείας διὰ τὸ ἐν ἐσχατιᾷ τῆς Ἀρμενίας τετάχθαι. Con-

questi fuerant Colonienses ob ereptum sibi Episcopum ad Sedem Nicopolis translatum, scripserant ea de causa ad sanctum Basilium, qui respondit fore ut curam habiturus esset Euphronius uniusque Ecclesiæ, scilicet Coloniæ & Nicopolis, & ab eodem sancto Euphronio neutram Diœcesim desertum iri. ἐχέτω, inquit S. Basilius τοίνυν καὶ τὴν Νικοπόλεως μέριμναν, καὶ τὸ ὑμέτερον προσθήκη ἔςω τῶν ἐκεῖ φροντισμάτων. *Suscipiat idcircò Nicopolis curam & accedat ad illam ibi sollicitudinem & vestra quoque res loco additamenti.* Observat S. Basilius fore ut gravius laboret Euphronius, sed ratus, non minorem fore curationem ejus ad Colonienses τῷ μὲν γὰρ ἀνδρὶ πλείων προσῆλθεν ὁ κόπος ὑμῶν δὲ οὐδὲν ἐλαττοῦται ἡ ἐπιμέλεια. *Certè huic homini plus laboris accedet sed vestrum cura & inspectio non minuetur*, pag. 1058. Eadem Epistola 292. Sanctus Basilius totis viribus enititur, ut persuadeat Coloniensibus hanc Episcopatus Nicopolitani accessionem

non humanitùs, ſed divinitùs Spiritus Sancti, vi & operatione factam eſſe. ταύτην μὴ ἀνθρωπίνῃ νομίσητε μηδὲ ἐκλογισμῶν κεκινῆσθαι τὰ γήϊνα φρονούντων ἀνθρώπων, ἀλλὰ τῇ συνεργίᾳ τοῦ πνεύματος. *Non ruputate hoc factum conſiliis hominum terrena ſapientium, ſed cooperatione Spiritus ſancti.* Ut cumque res ſit, rogat eos quoad ejus fieri poteſt, ne jurgii cauſam inferant Eccleſiæ Nicopolitanæ matri ſuæ, μὴ δικαιολογεῖτε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν ἐν Νικοπόλει ἐκκλησίαν. *Nolite litigare contra Eccleſiam matrem veſtram quæ eſt in Nicopoli urbe.* Et veritatis viribus eos convincunt, nihil melius fieri poſſe quam hoſce duos Epiſcopatus eidem perſonæ imponere. Ex his Lemmatibus manifeſtum Corollarium aſſumitur ad concludendum olim extitiſſe juſtas & legitimas cauſas & Canonicas ad imponendum eidem homini & viro forti duplicis Epiſcopatus onus: adeoque Beneficiorum multitudinem nec vetitam nec prohibitam fuiſſe, propter functiones

tiones aut debitam residentiam: sed econtra vigilantiam & sanctitatem Pastorum multitudinem efformasse & attraxisse eosque plurium Beneficiorum accessionibus cumulasse.

CAPUT IV.

Exponitur rectus usus Ecclesiæ de multitudine Beneficiorum tempore S. Gregorii Turonensis in Galliâ, qui obiit anno D. DXCVI. *& S. Gregorii Magni Papæ I. anno* DCIV.

SANCTUS Gregorius Archiepiscopus Turonensis, libro de gloriâ Confessorum, capite 50. pag. 934. edit. Paris. 1699. & 567. tomi 6. Bibliothecæ Patrum, parte 2. refert historiam S. Severi Presbyteri, quem ut observat doctissimus Theodoricus Ruinart Congregationis Sancti Mauri Monachus, pag. 934. editionis Paris. nonnulli post Rosweidum putant esse Severum Sulpitium Beati

Martini discipulum, qui præter historiam sacram tersè & castigatè scriptam, & alia opuscula, etiam ejusdem Sancti vitam scripsit, qui in rure domus Sexciacensis duas Ecclesias suis sumptibus ædificaverat, quas multis Sanctorum reliquiis ex ritu & more Christianorum expleverat. In quibus singulis Dominicis ministrabat, & Sacra vicissim ritè ac sanctè peragebat, etiamsi inter utramque spatium quasi millium viginti passuum intercederet. *Cum autem*, inquit, *dies Dominicus advenisset celebratis missis uno in loco, ad aliam pergebat. Erat autem inter utrasque Ecclesias spatium quasi millium viginti.* Jam verò quis ex hac relatione non intelligat S. Presbyterum Severum duas unâ possedisse & administrasse curas seû Parochiales Ecclesias? quas ipse ære proprio fundaverat. Porrò vir Dei tanto sanctitatis splendore fulgebat, ut infinita, referente Gregorio, miracula patraret. Unicum hoc exemplum abun-

danter sufficeret ad concludendum loci, temporis, morum & rerum habitâ ratione, posse plura Beneficia, etiam curam animarum & assiduitatem exigentia, in uno eademque homine condensari, solo intuitu gloriæ Dei & servitii Ecclesiastici, adeoque non semper instigatione cupiditatis aut avaritiæ comparari.

II. Ex literis Sancti Gregorii Magni usus in Ecclesiâ receptus perspicuam veritatem planissimè confirmat. Hac ætate fieri solebant coagmentationes seu aggregationes Abbatiarum non perennes, sed ad tempus brevis vitæ cujusdam sancti viri; cujus ministerium seu servitium ad regimen Monachorum conducibile videbatur, quod quidem nihil aliud significabat, quam plurium Beneficiorum ad quandam intercalationem temporis in eodem homine condensationem, seû coagmentationem. Hoc dilucidè patet ex Epistola 39. S. Gregorii quam scripsit Adeodato

Abbati Monasterii Sancti Sebastiani Neapolitani, ex qua intelligimus conjunctum ab hoc Pontifice in Adeodato Monasterium Gazarense situm in Diœcesi Neapolitanâ cum Monasterio Sancti Sebastiani, donec Neapoli institueretur Antistes, quo quidem tempore statuit deliberare & consilium inire de coagmentatione facienda duarum Abbatiarum, aut perenni aut brevi tempore. *Quorumdam Monachorum ejusdem Monasterii ad nos relatione pervenit Monachos Monasterii Gazarensis quod situm in plagiâ est, & Monachos Sancti Sebastiani Monasterii, quod Neapoli in domo quondam Romani constructum est: ubi Deo miserante, sicut dictum est, Abbatis geris Officium se Monasteriumque ipsum uniri magnopere proposuisse, adeo ut cartas omnes ejusdem Monasterii tuo Monasterio, ut dicitur tradidissent. Sed quia Monasterium ipsum in Neapolitanâ est Diœcesi constitutum nequid constituere quod absit, præjudicialiter videamur, volumus ut quousque Neapoli or-*

dinetur Antistes, tuo interim Monasterio antefactum Gazarense Monasterium cum omnibus ad se pertinentibus sit unitum. Cum verò propitiante Domino Neapoli fuerit ordinatus utrum in perpetuum hæc unitio extendi an temporalis esse debeat maturiùs ac solidiùs cum Dei gratiâ per tractabimus. Cæterùm si quid officiat legibus Ecclesiæ, plura possidère Beneficia idem erumpit incommodum ex conglobatione seu, coagmentatione in eodem homine ad arctum tempus brevis vitæ ejus, & si quid repugnans & insociabile recurrat ex parte tituli aut functionum Beneficii; quis non perspectum habeat in ea coagmentatione quæ Autore S. Gregorio fieri solebat? Numquid non istorum Beneficiorum Gazarensis, & S. Sebastiani conjunctio desiderari poterat, & postulari instigatione cupiditatis & avaritiæ non secus ac multiplicatio; & in uno eademque homine condensatio? Quid vetat igitur in gratiam ejusdem hominis ea Beneficia inter se plura &

diſtincta relinquere, vel in uno ad tempus adunare, ſeû coagmentatione & acceſſione, Formulis conſtitutis & Diplomate de hac re prolato, ad unum & ſingulare Beneficium redigere?

CAPUT V.

Varia proferuntur exempla ſanctorum hominum & virorum illuſtrium, ab anno Chriſti DCLV. *ad annum* MCCXV. *in quos invidiam, odium, aut offenſionem non concitavit multitudo Beneficiorum, etiam functiones ſingulares & aſſiduitatem in loco ſeû reſidentiam exigentium.*

I. INEUNTE anno Chriſti, circiter DCLV. in umbilico ſeptimi ſæculi vixit Sanctus Leodegarius Epiſcopus Æduenſis, cui Waïmerus oculos effodi juſſit & cruciatum Martyrii impoſuit Ebroynus Præfectus Prætorio tempore Childerici Clodovei

ſecundi filii. Hujus Pontificis vitam ſcripſit Urſinus, ut obtemperaret mandato Anſoaldi Epiſcopi Pictavienſis, relatam tomo 1. Collectionis Hiſtoricorum Franciæ Andreæ Quercerani, pag. 627. incurrit pariter tomo 5. Vitarum Sanctorum Laurentii Surii chartuſiani. Porro ex hac intelligimus Sanctum Epiſcopum Æduenſem, primò Archidiaconatu Pictavienſi fuiſſe exornatum à Didono avunculo, ejuſdem Sedis Epiſcopo, & continenti tempore Abbate Sancti Maxentii. *Cui quidem rei cum illum cerneret aptum & idoneum, & infra viginti annos ad officium electus eſt Diaconatus, atquę ab ipſo Pontifice conſecratur, deinde non multo poſt elapſo tempore Archidiaconus effectus.* Et inferiùs capite 3. *Cum autem Pater Monaſterii in Sancti Maxentii honorem conditi obiiſſet, juſſu ejuſdem Pontificis illud regendum ſuſcepit, quod ſex ferè annis ille gubernans & ſtructuris & magnis opibus dotavit.* Eccum videmus hominem ſanctum Archi-

diaconatu & fructuosâ Abbatiâ jussu sancti Episcopi exornatum, nullo crimine cupiditatis ambitionis accusatum, immò ab omni vitii contumeliâ liberum.

II. Chronicon Abbatiæ Gemetinensis infinita recenset acta pietatis & sanctitatis Hugonis filii Drogonis nepotis senioris Pipini Præfecti Prætorio, ex quibus intelligimus, quod cum iste Hugo ex hoc Monasterio eductus fuisset, & ex simplici Monacho ad Archiepiscopatum Rothomagensem evectus, electus fuit deinceps Abbas Gemetinensis, anno scilicet Christi DCCXXIII. & subinde Carolo Martello consanguineo ad supremum Gallorum dominium provecto, factus fuit Abbas Fontennallensis tandemque Episcopus Parisiensis & Bajocensis, non abdicatis aut relictis Prioribus Beneficiis. Ex eodem Chronico perspectam habemus hujusce Hugonis insignem pietatem, religionem summam, curam & voluntatem

ad ditandas Ecclesias applicatam. Revera observatum est ad ea Beneficia adductum fuisse *factione Caroli Principis patrui sui, extra Decreta tamen Canonum*, hoc est cum exceptione & dispensatione quadam, sed non contra Canones. Quis enim sibi persuadeat posse hodie plura absque immunitate seû dispensatione obtineri Sacerdotia?

III. Legimus tom. 2. Operum Hincmari Archiepiscopi Rhemensis, Opusculo 35. pag. 598. Fratris filium Hincmarum Laudunensem Episcopum, præter Episcopatum habuisse Monasterium seu Abbatiam extra septa Diœcesis. Verùm non quærebatur Hincmarus Rhemensis de hujus Abbatiæ ad Laudunensem Cathedram accessione, sed postpositâ licentiâ & permissu Rhemensis Metropolitani de profectione Hincmari junioris extra septa Diœcesis & longâ, & in eo Monasterio permansione. *Ad quam Abbatiam*, inquit Hincmarus Rhe-

mensis. Epistolâ octavâ ad Episcopos Galliæ, *sine meâ licentiâ quoties tibi placuit perrexisti, & quamdiu tibi placuit, ibidem fuisti immoratus contra Hilarii Papæ decreta dicentis illud non potuimus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter Metropolitanorum suorum literas, aliqui Episcopi ad quamlibet Provinciam audeant proficisci; quod etiam in omni genere Officii Clericalis per singulas Ecclesias debuit custodiri.* Si quid in hac multitudine Beneficiorum repugnans Decretis Canonum incurrisset, incredibile est Hincmarum non pervidisse & Laudunensi ex fratre nepoti non exprobrasse; sed tantum objectasse violatum jus Canonum omissa rogatione veniæ, ut extra Provinciam Metropolis proficisceretur.

IV. Accipimus ab eodem Hincmaro Rhemensi, Opusculo 26. ad Nicolaum Papam primum, pag. 304. in fine, Ebbonem Antecessorem suum præter Archiepiscopatum Rhemen-

ſem obtinuiſſe Abbatiam Sancti Columbani & alteram cujus nominatìm non meminit, propitio favore Imperatoris Hlotharii quo exciderat, & in offenſionem incurrerat ob repudiatam ſibi ab Imperatore Legationem ad Græcos impoſitam.

V. Idem Hincmarus, Opuſculo 45. pag. 760. numer. 17. criminatur Arctardum ob retentum Archiepiſcopatum Rhemenſem, cum Epiſcopatu Nannetenſi, nec improbat plurium Abbatiarum acceſſionem & fructuoſorum prædiorum aggregationem, quibus eum Rex donaverat. Ex his omnibus pleniſſimè conſtat his temporibus nihil vetaſſe Epiſcopatum unâ cum pluribus Abbatiis poſſidere, ſolumque reprehenſione dignum viſum eſſe, plures Epiſcopatus aggregare, & unâ ſociare, quod quidem perverſum & horribile eſt, niſi cogat Eccleſiæ neceſſitas urgentiſſima, ut ex ſuperiùs allatis exemplis intelligere facile eſt.

VI. Monachus Sancti Galli Scriptor libri *de Religiositate & Ecclesiasticâ Domini Caroli curâ*, qui occurrit tomo 2. Historicorum Franciæ, pag. 112. quos publici juris fecit Andreas Quercetanus, observat Carolum Magnum nulla Episcopo Abbatiam imposuisse, nec Ecclesiam cujus collatio ipsum attinebat, nisi certis de causis, & si quis percontabatur rationem ejusmodi ascesis non refudisse inviolatos Canones prohibentes coagmentationes plurium Beneficiorum, sed assumpsisse, ex eo quod cum illo fisco, vel curte in illa Abbatiolâ, vel Ecclesiâ tam bonum & meliorem vassallum, quam ille comes vel Episcopus fidelem sibi acquirebat vel faciebat. *Nulli Episcoporum Abbatiam vel Ecclesiam ad jus regium pertinentes nisi ex certissimis causis unquam permisit. Cumque à consiliariis suis sive familiaribus interrogaretur cur ita faceret, respondit cum illo fisco, vel curte illa in Abbatiola vel Ecclesia, tam bonum vel melio-*

rem vassailum, quam ille comes vel Episcopus fidelem acquiro vel facio. Hæc fuit vera causa & solitaria, propter quam Imperator Carolus Magnus, uni singulari Beneficium singulare impónere statuerat. In super urgentibus causis, justis & legitimis unum plurium accessionibus cumulare non renuebat, uti contigit Udalrico, fratri Sanctæ Hildegardis, tot Regum & Imperatorum matris, ut refert continenti sermone Monachus Sancti Galli. *Ex certis autem causis quibusdam plurima tribuit ut pote Udalrico, fratri magnæ Hildegardæ, genitricis Regum & Imperatorum, de quo cùm post obitum ipsius Hildegardæ pro quodam commisso à Carolo viduaretur honoribus (id est dignitatibus Ecclesiasticis) quidam scurra in auribus misericordissimi Caroli proclamavit, nunc habet Udalricus honores perditos in Oriente & Occidente defunctâ suâ sorore, ad quæ verba illacrymatus pristinos honores, hoc est Beneficia fecit illi restitui.* Hæc quidem bene ac sapien-

ter assumenda sunt ad concludendum Carolum Magnum sibi persuasisse contra jus esse spoliare hunc Udalricum multitudine Beneficiorum quorum accessionibus eum cumulaverat, in gratiam SanctæHildegardæ sororis.

VII. Eodem tomo historicorum Querçetani, pag. 405. refertur fragmentum ex codice manuscripto Bibliothecæ Thuaneæ, ex quo intelligimus Carolomannum, filium Caroli Calvi, judicio decretorio fuisse pluribus Abbatiis exoneratum seû spoliatum Sylvanecti, non propter multitudinem vel plurium coagmentationem, sed propter societatem clandestini consilii in quam multos parenti infensos allicierat adversus quem & conjuratos ad insidias exciverat. *Item Carolomannus Regis Caroli filius & plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus. Quoniam insidias erga patrem suum infideliter moliretur Abbatiis privatur in Civitate Sylvanectis est custodiis reputatus.*

VIII. Res consimilis incurrit in historiâ Aimoynii Monachi Floriacensis capite 24. & in excerptis historicis ex libris de casibus Sancti Galli extractis ex libro Ekkehardi junioris capite 1. ex quibus intelligimus Attonem Archiepiscopum Moguntinum, cor Regis cognominatum, præter Sedem Episcopalem duodecim Monasteriis præfuisse ad annum Domini DCCCLXXXIII.

IX. Alchuinum fatentur omnes virum fuisse summâ probitate insignem & doctrinâ magnâ & præclarâ eruditum, quem Carolus Magnus ex Anglia exciverat summâ scientiâ illectus, ad instituendam Universitatem studii Parisiensis, juxta mentem communiorem Historicorum, & Ecclesiam Catholicam adversus Hispanicas hæreses Elipandi Archiepiscopi Toletani, & Felicis Urgelitani fortiter ac nervosè defendisse. At verò scripsit hic Autor librum de Divinis Officiis ex quo scientiam Sanctorum

in eo excelluiſſe perſpicimus, & alterum de virtutibus & vitiis in quo nihil quod ſpectet officia hominis Chriſtiani prætermiſit. Denique ſanctus vir pietatis & religionis inſtinctu ſuſcepto Diaconatus Ordine, non auſus eſt Preſbyteratu initiari, & tamen ſi fidem adhibeamus omnibus antiquis Scriptoribus, quorum teſtificationibus convictus doctiſſimus Cointius Oratorii Domini Jeſu Preſbyter, probat in Annalibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Francorum, ad annum DCCCCIV. numero 62. Alchuinum nec Monachum, nec Preſbyterum unquam fuiſſe, eo tempore quo nondum erat conſtituta partitio fructuum aut prædiorum Monaſterii inter Abbatem & Monachos procuravit ſibi & poſſedit unâ quinque Abbatias, ſcilicet, S. Martini Turonenſis, Cormeriæ, S. Lupi Trecenſis, Ferrariarum in agro Waſtinenſi, S. Jodoci in Diœceſi Ambianenſi. Quæ cùm ita ſint adeò ut dubitandi locus non ſuperſit,

persit, si vir tot meritis conspicuus & clarus, nec avaritiæ, nec cupiditatis affectu potuit quinque Abbatias glomeratim cumulare, seu possidere totque Monasteria gubernare, nec Presbyter nec Monachus; quid vetat ætate qua vivimus, tam benè constitutâ & confirmatâ ab Ecclesiâ partitione prædiorum & bonorum inter Abbates & Monachos, ipsisque Abbatibus ab omni curâ & administratione Monasterii exoneratis, & iis factis Ecclesiæ authoritate liberis, viros frugi, Sacerdotes aut Clericos pietate ac scientiâ insignes, nobilitate claros, virtute singulari præditos, possidere Abbatias aut Prioratus plures cum Episcopatu, aut Canonicatu, aut curâ Parochiali conjunctos; dummodò sincerè, temperanter ac bonâ fide fructibus Beneficiorum utantur, in egenos & pauperes liberaliter impendant, nosocomia Clericorum edificent & sustentent, orphanotrophia tuenda recipiant, omnia

verò flagrantibus vitiis libidinis, avaritiæ, ambitionis efflictìm denegent & recusent.

X. Beatus Lupus Abbas Ferrariensis qui suum nomen nono sæculo defensione doctrinæ Sancti Augustini de Gratiâ Christi & Prædestinatione illustravit, religioni non habuit præter Abbatiam Ferrariensem Prioratum S. Jodoci possidere integro vitæ cursu, uti observavit doctissimus Thomassinus Oratorii Domini Jesu Presbyter Theologus, tom. 2. Disciplinæ Ecclesiasticæ, pag. 240. anteriori tempore circa annum DCCXX.

Angelramnus Archiepiscopus Metensis diu habuit Abbatiam Senoniensem in Vogeso Monte Diœcesis Tullensis, uti refertur in Chronico Abbatiæ Senoniensis, libro 2. pag. 299. tomi 3. Spicilegii d'Acheriani. *Idem Archiepiscopus Angelramnus & Abbatiam Senoniensem aliquanto gubernavit tempore.* Observatum est continuo sermone, magnam molestiam ex

eo accepisse Monachos, non propter multitudinem Beneficiorum, quâ oneratus fuerat Angelramnus, sed quia Abbatia ex Imperiali quodammodo degenerans fiebat Episcopalis. *Monachi vero qui à tanto honore immò melius dicendum onere se descendisse videbant gravissimè tulerunt. Non enim considerabant quod sicut & aliæ circumjacentes Ecclesiæ oppressione Imperiali sæpius terrebantur & desinebant jam pro armatorum cuveis in expeditione mittendo, tùm quia ab inimicis Imperii crudeliter vexabantur & non erat qui adjuvaret, quia & Imperator multoties aberat & Ecclesiæ ab inimicis erui non poterant, vano igitur dolore consumebantur.*

XI. Flodoardus Canonicus Rhemensis, historiæ libro 1. capite 3. refert Hilduinum Abbatem S. Dionysii, sub cujus Magisterio institutus fuerat Hincmarus, qui fuit Archiepiscopus Rhemensis, tunc temporis Archicapellanum Imperatoris Ludovici Pii, habuisse plures Abbatias,

landi Juris ſacri viam non declinaſſe.

XII. Nemini homini hiſtorias rerum Eccleſiaſticarum legenti in dubium venit, quin Berno primus Abbas Cluniacenſis, quem Guillelmus cognomento pius, Alverniæ Comes, & Aquitaniæ Dux, circiter DCCCCX. inſtituerat, vir ſanctiſſimus extiterit. Hæc enim ſi quis negare non pertimeſcat omnibus Chronicis & Hiſtoriis fundationis hujuſce Monaſterii mendacium exprobare neceſſe eſt; quorum ex ſcripta plura incurrunt in Codice ſcripto ſub titulo Bibliothecæ Cluniacenſis, fol. 5.6.7.8 & 10. Pulici Juris facto curâ & ſtudio Domini Martini Marrier, S. Martini Pariſ. à Campis Monachi profeſſi, & Andreæ Quercetani, anno MDCXIV. habemus fol. 9 & 10. hujus Codicis teſtamentum Sancti Bernonis, ex quo manifeſtè intelligimus, quamdiu in vivis fuit, poſſediſſe ſex Abbatias ſeu Monaſteria, ſcilicet Gi-

niacense, Balmense, Æthicense, Cellam Sancti Laurentii, vulgò dictam Alafracta, & quartam partem Caldariarum, quæ sunt in loco qui dicitur Saymonis, & insuper Abbatiam Cluniacensem, Masciacum, & Dolense Monasterium. Hoc quippè testamento designabat quos volebat habere in dictis Monasteriis seû Abbatiis successores. *Ita scilicet ut dilectus noster Wido Cœnobio Gigniacensi Balmensi Æthicensi cum Cellâ quæ dicitur S. Laurentii, & cum omnibus rebus ad prædicta Monasteria pertinentibus regulariter præsit, præter Villam quæ dicitur Alafracta, & res quasdam quæ fuerunt Domini Samsonis, in eodem pago consistentes & quartam partem Caldariarum quæ sunt in loco, qui dicitur Leodonis, & medietatem prati quod fuit Domini Saymonis, at vero carissimus frater Odo Cluniacum & Masciacum, atque Dolense Monasterium ita cum rebus ad eadem loca pertinentibus Deo favente suscipiat, ut ea pro viribus regulariter disponat.* Si

unquam in religionem & ſcrupulum venire debuit multitudo Beneficiorum potiſſime contingere videtur debuiſſe hora mortis, & quo tempore extremas tabulas & teſtamentum conſcribebat, eo enim maximè Deum rogare debuit ad modum propitiantis, veniam peccati & contumeliæ inquinantis multitudine Abbatiarum neque his onerare ſucceſſores & conſanguineos. At vero prorſus contrarium & repugnans contigit. Ea igitur omnia aſſumenda ſunt ad concludendum non avaritiæ, aut cupiditatis affectu in hac Beneficiorum multitudine permanſiſſe, eamque ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe, ſed ad præſtandum officium debitum Eccleſiæ & gloriam Deo procurandam. Ex his colligitur neceſſariò non eſſe vetitam plurium Beneficiorum in uno homine coagmentationem. De cæterò hujus teſtamenti Bernonis actum ſubſignaverunt ſucceſſores Wido & Odo Abbatum dignitate præditi, anno IV.

Regnante Radulpho Rege, sive Christi DCCCCXXIV. vel 927.

XIII. Helgaldus qui scripsit vitam Roberti Francorum Regis, exscriptam à Cardinale Baronio, in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MXXIX. tempore Joannis XX. Romani Pontificis, mirabilia narrat de Gausselino Archiepiscopo Bituricensi, & Abbate Floriacensi. *Hujus certè temporibus Roberti Regis videlicet cujus adjuvante Deo facta describimus, fulsit in Monasterio Floriacensi loco celebri splendidus mundo Gauzelinus Abbas, merito sanctis Deo conjunctus operibus, pollens scientia spirituali simul & humanâ. Inerant ejus cordi Abbonis Magistri probati sancti: Scripturæ flores boni, de quibus honestissimè imbutus ita eructabat omnibus ut possint delectari in cœlestibus. In sanctis elemosynis largissimus & ipse positus in fortissimis frigoribus à se vestes pallium objiciens pauperes Christi indueret, & ut à remuneratore bonorum præmium perciperet de quo audiret nudus fui, &*

vos

vos operuistis me, quæ uni ex minimis fecistis, venite benedicti Patris mei, &c. Hunc profectus Rex ita suis affixit obtutibus, ut eum præ cæteris diligens, suis eum specialiter devinciret consiliis: qui ab eo probè probata semper ea habuit honesta numquam tamen injusta in honoribus sæculi eum honorans attribuit illi honores non minimos Abbatiam Sancti Benedicti quæ est caput totius Ordinis monastici & Episcopatum Bituricensem Sancti Protomartyris Stephani Principatum tenentis totius Aquitaniæ, qui fuit & est honor & decus Franciæ.

Quis accuset ejusmodi hominem ambitionis & avaritiæ? Avari enim & ambitiosi non se spoliant, ut vestibus suis pauperes & egeni induantur, *non enim sunt meritis cum Sanctis Deo conjuncti, & eleemosynis largissimi*, nec dici possunt, *pollere scientiâ spirituali simul & humanâ.* De his igitur omnibus juvat constituere ac definire licitum esse & Reipublicæ Christianæ conducibile possidere Archiepisco-

patum unà cum Abbatia aggregatum. Honorificam mentionem facit hujuſce Gauzelini S. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis in literis ſuis quarum plures ad eum ſcripſit ſummæ venerationis teſtificationibus plenas. Idem ipſe Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis plura Beneficia non abnuerat poſſidere, uti intelligere facile eſt ex ejus literis 103. 128. & 130. quibus clariſſimè patet longo tempore conjunctìm poſſediſſe theſaurariam & capiceriatum Eccleſiæ Pictavienſis. *Mando tibi*, inquit Duci Aquitaniæ, qui eum his Beneficiis obſtrinxerat, *& precor abſens id quod tunc præſens intimare volebam, ut conſtituas tibi alium theſaurarium & capicerium de bonis clericis, qui ſunt in tua viciniâ quos via longa & periculoſa non diſturbet ab officio ſicut me & meos hactenus diſturbavit.* Petrus Damiani quem Stephanus X. Papa inter patres purpuratos quos Cardinales vocant cooptavit, poſtquam fato functus eſt & Papa Nicolaus II.

vicit Benedictum & ſchiſmate quod conflaverat ſe extricavit, non timuit relinquere Epiſcopatum, & duo Monaſteria quorum res longo temporis ſpatio geſſerat. Quæ quidem non dimiſit affectu religionis aut ſcrupuli, ſed quia ſublimi humilitate viſcera cordis penetrante ſe tot munerum oneri prorſus imparem reputabat, qua de cauſâ prodiderat infinita Epiſcoporum & Abbatum exempla qui ſeceſſus amore illecti ſuis ſe Beneficiis & muneribus abdicaverant. *Horum ergo*, inquit Epiſtolâ ad Nicolaum II. Papam, *aliorumque Patrum authoritate ſuffultus Epiſcopatui ſimul & Monaſteriis in ſanctis manibus veſtris irretractabiliter renuntio, omneque jus à me movendæ in poſterum quæſtionis ac repetitionis abſcindo.* Reverà nobis non conſtat Nicolaum II. Papam virum magnum & ſanctum gratam habuiſſe Petri Damiani Spontaneam abdicationem. Immò verò valde credibile eſt illum in multitudinis per manſio-

ne reliquisse in eaque substitisse ad gloriam & utilitatem Ecclesiæ, ut observavit Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis anno MLIX. numero 9. ubi neutiquàm prætermisit viros æquabilis meriti, cum Petro Damiani quæsivisse, ut ei Cardinalitiâ amplitudine pares faceret. Idem Cardinalis Baronius multa cogitatione reputandam animadversionem prodidit, de coagmentatione plurium Beneficiorum in eodem homine, ad annum MLXX. numero 27. in quo de Alexandro II. Papa ait imitationis instinctu Leonis IX. noluisse relinquere Episcopatum Lucensem, sicut Episcopatum Leucorum seû Tullensem abdicare renuerat Leo IX. quod probat testificatione antiqui Codicis manuscripti Bibliothecæ Vaticanæ extracti ex Cartophilatio Ecclesiæ Lucensis. *Eodem anno*, inquit Baronius, *Alexander Papa qui imitatus S. Leonem IX. licet Romanus Pontifex creatus, numquam titulum Prioris Lucensis*

Eccleſiæ dimittere voluit emenſo decennio ex quo cœperat ille egregiam Baſilicam edificare ea jam abſoluta Lucam petiit, eamque in honore S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris Deo dicavit pridie nonas Octobris.

Igitur fateri non ſolum opus verum etiam neceſſe eſt ſanctos viros atque pios homines non dubitaſſe, quin plura Beneficia ſimul coagmentari poſſent, atque etiam conſilium dediſſe aliis ut multa & plura agglomerarent poſtpoſita cauſa avaritiæ aut ambitionis.

XIV. Laurentius Surius ex Ordine Carthuſianorum Doctor illuſtris, refert ad xv. Octobris Sanctum Oſualdum Epiſcopum Vorcheſtrenſem in Anglia conſociaſſe cum Vorcheſtrenſi Archiepiſcopatum Oxonienſem juſſu Sancti Edgari Regis Angliæ, & Sancti Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis. Idem Surius ad xix. Maii, narrat prædictum S. Dunſtanum conjunxiſſe Vigornien-

ſem cum Londinenſi, idque refert Guillelmus Malmeſburienſis, lib. 1. de Geſtis Pontificum Anglorum, pag. 270. Iterum Surius ad IV. Julii cap. 24. refert S. Udalricum cum Epiſcopatu Auguſtano Monaſterium ſeû Abbatiam aggregaſſe, qua ſe continuo tempore abdicavit ut Abbatis eligendi Monachis locum liberum daret. Nos docet inſuper ad XXXI. Octobris Volfgangum Epiſcopatui Ratisponenſi veſtigiis prædeceſſorum inſiſtentem adjunxiſſe Abbatiam S. Emmeranni quam pariter reſtituit monachis cum facultate eligendi Abbatis. Gregorius VII. Papa, Epiſtola 52. lib. 1. quæ habetur tomo 3. Concil. Binii Coloniæ impreſſorum anno MDCXVIII. Manaſſem Archiepiſcopum Rhemenſem, virum ſuâ ætate virtutibus & vitiis celebrem, laudibus multis extollit, eo quod viri ſancti, pii, ac religioſi, electionem fieri procuraverit ad Abbatiam Sancti Remigii Rhemenſis. Qui jam Sancti

Arnulphi Metensis Abbas erat, quod perspectum habemus ex Epistola LIII. ejusdem Pontificis. *Verùm, inquit, quia nunc cognovimus quod idem Monasterium S. Remigii meliùs ordinasti quam audivimus vel speravimus, quoniam ibi honestum moribus & eruditum literis hominem posuisti non minimâ lætitia animum nostrum refocillasti. Abbas quidem nobis admodum placet, etsi posset ferre onus ut utrasque Abbatias regeret Metensem scilicet & Rhemensem laudaßem pro eo, quia vir religiosus & sapiens est.* Constat igitur sanctitatem, scientiam & sapientiam causas fuisse legitimas Gregorio VII. quibus virum tot meritis conspicuum ad regenda duo Monasteria seû Abbatias applicaret. Reverà enim Abbas Sancti Arnulphi se tot oneribus imparem existimans Rhemensi Abbatia abdicavit, & alium Abbatem eligi procuravit, jubente Gregorio VII. & legem imponente Manassi eligendi alium Abbatem consilio præhabito dicti Abbatis S.

Arnulphi. Id patet ex Epiſtola LIII. ejuſdem Pontificis eadem die ſcriptâ LII. ſcilicet 2. idus Maii indictione 12. Idem Pontifex lib. VI. Epiſtola 27 & 28. ad Monachos Dolenſes & Principes Bituricæ regionis ſcribens abdicaſſe Gualterium Magiſtratu Abbatiali, jubet aſſumere in Abbatem Vormondum Archiepiſcopum Viennenſem, & in omnibus ei obedire & obtemperare. *Quapropter Apoſtolicâ vobis authoritate præcipimus, ut confratrem noſtrum Vormondum Viennenſem Archiepiſcopum, quem vobis in Abbatem, Deo annuente, ordinavimus, ſine omni contradictione ſuſcipiatis & ei ſicut Patri & Abbati per omnia toto cordis affectu obediatis.* Quis jam ergo dubitandi locus relictus eſt, quin ſibi perſuaſerit Gregorius Pontifex VII. opus eſſe & Eccleſiæ valde conducibile hunc Viennenſem Archiepiſcopum aggregare Archiepiſcopatui Abbatiam Dolenſem. Ex Annalibus Cardinalis Baronii habemus ad an-

num MCXI. numero XIII. Epiſtolam Urbani II. Berengario Auſonenſi Epiſcopo, quâ licentiam ei impertit & ſucceſſoribus regendi hunc Epiſcopatum & conjunctìm Archiepiſcopatum Tarragonenſem, donec Tarragonenſis Eccleſia integrè reformata priſtinum ſplendorem & dignitatem recuperaverit, ſibi ablatam tempore irruptionis ſeû populationis Saracenicæ. *Porrò*, inquit Papa, *Auſonenſem Eccleſiam tibi tuiſque ſucceſſoribus tamdiù credimus poſſidendam, donec authore Deo ad priſtini ſtatus plenitudinem veſtro ſtudio Tarraconenſis Eccleſia reformetur.*

XV. Jacobus de Vitriaco Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Hiſtoriæ Orientalis capite 58. pag. 97. obſervat eo tempore quo Latini Terram Sanctam ſub Imperium ſuum ſubjunxerunt, plures Epiſcopatus fuiſſe, quos antea diverſi regebant Epiſcopi, quos ſub unius Juriſdictionem redigere neceſſe fuit habita ratione

paupertatis: ne amplitudo Episcopalis vilesceret & gravibus urgeretur irritatæ necessitatis morsibus. Quis vero ex hoc argumentum non assumat ad probandum sæpe causas existere legitimas, postpositis avaritiâ & ambitione, imponendi eidem homini oneris variorum Episcopatuum, adeoque nihil vetare positis legitimis conditionibus & circumstantiis quibusdam, plura Beneficia etiam cum curâ animarum capessere & regere?

XVI. Saxo Grammaticus, qui vixit tempore Alexandri III. circa annum MCLXXVII. refert Pontificem Maximum vim fecisse Absaloni Episcopo Rochildensi, ut adjungeret Ecclesiam Metropolitanam Lundensem in regno Danico & adstrinxisse populos hujusce Diœcesis ad obtemperationem ei exhibendam post liberam abdicationem Eschili, qui hoc Archiepiscopatu cesserat ut Cistertii Monachum indueret. Cardi-

nalis Baronius, qui hanc hiſtoriam refert tom. 12. Annalium Eccleſiaſticorum anno MCLXXVII. ait tùm primâ vice tentaſſe Pontifices Romanos adſtringere illatâ vi hominem unicum ad plura Epiſcopatuum munera capeſſenda, vocatque exemplum perniciosum à quo Reipublicæ Chriſtianæ, prima mali labes. Sed tum primâ vice contigiſſe, ſeù primulùm excluſam ovo multitudinem, ſeû condènſationem Beneficiorum in eodem homine pernegamus libenter, ut patet infinitis exemplis quæ anteà prodidimus. Enim verò Alexander III. poſtpoſitis omnibus repugnantiis & admonitionibus Abſalonis, eum vi excommunicationis non deſtitit cogere, ad capeſſenda munera duorum Epiſcopatuum. Quæ cum ita ſint quis dubitet non deeſſe cauſas optimas præter ambitionem & avaritiam, quibus ſummi Pontifices redacti ſunt ad comprobandam multitudinem & coagmentationem in uno eodemque

homine Episcopatuum adeoque reliquorum aliusque generis Ecclesiæ Beneficiorum.

XVII. Habemus in Notis Andreæ Quercetani ad Bibliothecam Cluniacensem Chronicon Joannis Paris, ad annum MCXLIX. in quo scriptum legimus Henricum Monachum Claraevallensem fratrem Ludovici VII. Francorum Regis, factum fuisse Abbatem seû Præfectum generalem omnium Monasteriorum Franciæ, & insuper Episcopatum Bellovacensem adeptum esse, deinde ad Rhemensem translatum. Philippus hujus Henrici successor plures etiam Abbatias obtinuit. Chronicon Cluniacense mentionem facit Joannis de Borbonio Aniciensis Episcopi, qui immunitate & dispensatione à Sede Apostolicâ, seû Calixto III. emissa & Abbatiam Cluniacensem Sedi Aniciensi adjunxit, anno MCCCCLVI. virum isto Joanne de Borbonio, nec majorem nec virtutibus excellentiorem habuisse

videtur Eccleſia Gallicana, uti intelligimus ex Decretis quæ publicavit recenſitis in Bibliothecâ Cluniacenſi Andreæ Quercetani. Ibi comparandus venit cum Patriarcha Jacobo qui Dux erat, Lyam & Rachelem ſorores, propter conjunctionem & coagmentationem quam ſuſtinebat Epiſcopus Anicienſis, & Monaſterii Cluniacenſis. *Quod viſum eſt*, inquit Chronicon, *correſpondere copulæ matrimoniali Jacob Patriarchæ, qui ex divina diſpenſatione duas ſorores Lyam ſcilicet & Rachel ſimul in fœcunditate ſobolis habuit.* Denique non ſolitaria Epiſcopatuum & Abbatiarum conjunctio erat jure merito à Summis Pontificibus approbata & confirmata ſed præpoſiturarum & Canonicatuum. Hoc nos docet Gregorius VII. libro 3. Epiſtolarum, Epiſt. 17. in qua jura Jochelini vindicat & ſuſtinet, & impoſitâ pœnâ excommunicationis mandat Rainerio Epiſcopo Aurelianenſi, ne poſſeſſionem inter-

turbet quâ fruitur conjunctìm præpositurâ Aurelianensi, & quodam Monasterio seû Abbatiâ. *Jochelinus quæ ab eis scilicet Canonicis præposituram tenet in pace possideat, Abbatiamque suam idem Jochelinus cum omnibus aliis rebus mobilibus & immobilibus similiter teneat.*

XVIII. Intelligimus ex literis 10. 11. 13. 14 & 20. Summi Pontificis Adriani IV. authoritate Sedis Apostolicæ confirmatam fuisse collationem Archidiaconatus Atrebatensis in gratiam Hugonis Cancellarii Franciæ & prædictum Pontificem scripsisse Episcopo & Clero Parisiensi, ut unam Præbendam, eidem Archidiaconatui associaret. Ex iisdem literis patet prædictum Pontificem gratulatum esse Capitulo Aurelianensi, ob datum eidem Cancellario Canonicatum. Verumtamen recognoscere necesse est, repugnantiam functionum & residentiæ causam semper fuisse justam & legitimam prohibendæ adunationis & coagmentationis

plurium Beneficiorum. Ex his enim eruperunt immunitates & diſpenſationes Sedis Apoſtolicæ, quæ primulùm niſi bènè & prudenter diſcuſſis & cognitis cauſis non concedabantur in gratiam multitudinis ſeû ut loquantur *pluralitatis* Beneficiorum. Hinc factum eſt, ut Summi Pontifices Stomachoſius inſurgerent adverſus receptam pluralitatem Beneficiorum, poſtpoſitis immunitatibus & diſpenſationibus Sedis Apoſtolicæ. Quippè tùnc cœperunt multitudinem ſeû pluralitatem appellare redundantiam & ſuperfluitatem, & velut uſum perverſum & perniocioſum condemnare. Hoc quippè conceptis verbis habemus Epiſtola 157. Innocentii III. Summi Pontificis, libro Epiſt. 14. *Licet*, inquit, *circa eandem perſonam Beneficiorum ſit ſemper ſuperfluitas improbanda, nonnumquam tamen eſt toleranda* pluralitas *ſtatu perſonæ provida conſideratione penſato*. Continuo ſermone oſtendit debere concedi

hanc pluralitatem, quæ in superfluitatem non degenerabit, erga illum hominem cujus in gratiam immunitas seû dispensatio postulabatur; quippè cùm licet plures Præbendas habeat quæ partitìm æquabiliter ad residentiam astringant earum fructus percipere non posset. *Etsi plures Præbendas obtineat ipse tamen penè nullam habere proponitur cujus proventus liberè possit percipere, nisi residentiam in eâ faciat personalem.* Eadem mente & consilio iste Summus Pontifex prohibuit in Concilio Lateranensi 4. capite 29. ne tenerentur unà & conjunctìm plures Dignitates Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ Parochiales, ibi verò explicando fusiùs & renovando quod sancitum fuerat in anteriori Concilio Lateranensi sub Alexandro III. capite 13. hac exceptione contraxit, scilicet ut Summus Pontifex posset dispensare cum sublimibus viris & literatis hominibus de rigore disciplinæ; hoc est solvere hac severitate
disciplinæ

disciplinæ viros nobiles & literatos, quos majoribus Beneficiis exornari decet. *Circa sublimes & literatas personas quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ cum ratio postulaverit per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Igitur liquidò constat Ecclesiam universalem in Concilio Lateranensi IV. non dubitasse quin plura Beneficia in quibusdam casibus possint ab uno homine singulari possideri, cum literatas & sublimes personas legis severitate solvat & immunes reddat, jusque dispensandi & immunitatem dandi Summo Pontifici vindicet & confirmet.

Opus esse mihi videtur animadvertere Concilium Lateranense IV. solitariam mentionem facere de Beneficiis, quorum functiones insociabiles sunt & assiduitas ac residentia repugnantes, quales sunt Ecclesiasticæ Dignitates, & Curæ Parochiales, de aliis enim ne verbum quidem prodidit; neque de Beneficiis quæ per fidu-

ciam, aut commendam poſſidentur, & omni functione, onere & reſidentiâ vacant. Quo in caſu defendo multitudinem ſeu pluralitatem Beneficiorum non eſſe prohibitam, immò eſſe licitam & nemini exprobrari poſſe; dummodo non ſit in hac multitudine ſeû pluralitate Beneficiorum in gratiam cupiditatis, avaritiæ aut ambitionis permanſio. Sed ut hanc veritatem ſatis perſpicuam confirmare poſſimus, originem primam & uſum perverſum commendarum ſeû fiduciarum inveſtigare opus eſt, & acu hiſtoricâ explicare, qua ratione ad præſentem ſtatum in quo verſantur pervenerint.

CAPUT VI.

Hiſtoria commendarum ſeû fiduciarum refertur & explicatur.

I. Rectum commendarum uſum primâ fronte rebus Eccleſiæ

conducibilem in perverſum & contumelioſum degeneraſſe nemini homini mentis compoti & rebus hiſtoricis tantiſper aſſueto negare licet. Sed deteriùs interim ratiocinari non potis eſt, quam bonum & quod optimum eſt explere contumeliâ eo quod malitia & iniquitate hominum pravum & inquinatum evaſit. Enimverò ſi bona omnia quorum acceſſionibus Deus optimus maximus homines cumulavit rejicienda ſunt propter perverſum uſum hominum, nullum in orbe ſupererit quod de genere malorum horribile ac pertimeſcendum non effiat. Serpentem Æneum quem erexerat in deſerto Moſes, ut ejus conſpectu vulnera populo Iſraëlitico morſibus ſerpentium inflicta ſanarentur deturbare neceſſe fuit, nè idololatriæ captaretur occaſio. Ejuſmodi ratio fuit commendarum, quæ prima fronte ſanctæ & piæ tuendis Eccleſiæ bonis conducibiles & neceſſariæ, lapſu temporis iiſdem diſ-

ſipandis ac in uſus pravos diſpergendis idoneæ & factæ ſunt. Sed ad tantulum opus ſcribendum animum appuli ut oſtendam ejuſmodi commendas ſeû fiducias utiles & neceſſarias, & in rectum uſum convertendas Eccleſiæ fuiſſe. Verùm enimverò nihil conducibiliùs muneribus & functionibus Eccleſiaſticis, cujuſcumque generis ſint, contingere potuit, quam rectus commendarum & fiduciarum uſus; ſi res in origine & principio reputentur. Reverâ commendæ diu antequam inveniretur nomen Beneficii extiterunt. Commenda igitur nihil aliud erat quam tutela & præſidium, quo bona ſeû fructus Epiſcopo vel Abbati debiti, defendebantur Epiſcopatu vel Abbatia vacantibus: adeoque ex commendâ conſpectu primo inferri videtur multitudo Beneficiorum. Quippè cùm contingebat vacare Epiſcopatum morte Epiſcopi, aut abdicatione, cura ſeû adminiſtratio Eccleſiæ va-

cantis imponebatur viciniori Episcopo, aut Abbati finitimo. Quodam elapso tempore continenter rationem reddebat administrationis suæ electo Episcopo, aut Abbati sive illius successori, cujus obitu Episcopatus, aut Abbatia possessore vacaverat.

II. Ejusmodi agendi ratione innumerabiles antiquitatis Episcopi, tàm apud Græcos, quàm Latinos, unâ plures Abbatias & Ecclesias Cathedrales tenuerunt. Et cum abusus irrepsisset multitudine Beneficiorum, unius & solitarii hominis curæ commissorum, Papa Leo IV. circa annum Domini DCCCXLIV. Decreto publico declaravit neminem posse duas Ecclesias *in Titulum*, ut loquuntur possidere, sed unam *in Titulum*, & alteram *in Commendam*, hoc est posse cum unâ secundum spiritum connubio jungi stabili, alterius verò curam capessere, ad quoddam tempus, donec electio possidentis in Titulum facta fuisset. Sed cùm sensìm

ſine ſenſu uſus pravi continuo tempore augeſcere non deſiſtant, qui præſertim hominum cupiditati patrocinium adferunt, & tractatio rerum fructuoſarum ſeû bonorum Eccleſiæ in illius poteſtate poſita ſit, qui principio conſtitutus fuerat procurator boni ſpiritualis animarum quarum cura à Chriſto Paſtoribus impoſita fuerat: uſu commendarum in cupiditatem horribilem degenerante, coacti ſunt Summi Pontifices prohibere quìn ampliùs Eccleſiæ Cathedrales commendarentur, ſeû in commendam poſſiderentur; quod præſtitit Innocentius IV. Papa in Concilio Lugdunenſi quingentis annis poſt emiſſum Decretum Leonis IV. hoc eſt annum circa MCCLIV. cujus ætate conſtituta & confirmata eſt vehementer multorum Beneficiorum in uno eodemque homine coagmentatio, omni poſtpoſito diſcrimine ſociabilium & inſociabilium, quod lapſu temporis diu poſt inventum eſt.

Tunc temporis non paucis ab hinc annis Eccleſiæ bona prædiaque fructuoſa, erant præda data, non ſolùm ſæcularibus viris, verum etiam laïcis, ſpecie tuendarum commendarum. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius nomine Beneficiorum quod jam in locum commendarum & fiduciarum advenerat dederant prædia fructuſque Monaſteriorum impoſitâ lege ſolvendi annuatìm Monachis decimam partem proventus adverſus eos quos his muneribus exornaverant. Ea vero dona indiſcriminatìm facta fuiſſe laïcis & clericis perſpecta habemus. Hugo frater nothus Ludovici Pii pluribus Monaſteriis Franciæ inſtructus & oneratus fuit. Paucis poſt annis ſcribit Lupus Ferrarienſis Abbas, Carolum Calvum inſtruxiſſe Abbatia Ferrarienſi Odulphum Comitem, & pariter Lotharium ea exornaſſe Rodingum, Epiſt. 11. at vero Epiſtola 25. conqueritur vehementer Capellanos Regis ab eo extorſiſſe

plures Abbatias, & Epiſtola 42. iterat quærimonias non minus juſtas ob datam meliorem partem fructuum Abbatiæ ſuæ homini ſæculari & laïco non adminiſtratori ſed diſſipatori. Idem Imperator Ludovicus Pius dedit Abbatiam Sancti Germani Pariſienſis à Pratis Ebroïno Epiſcopo Pictavienſi, & Monaſteria Matiſconenſe & Gabilonenſe Comiti Warino, qui deinceps ad meliorem frugem reverſus, pœnitentiâ ductus Cluniaci Monachus factus edificavit domum & exaltavit templum ſanctum Domino. Conſtat igitur planiſſimè infinitis exemplis, quorum acceſſionibus jam relata cumulari poſſent, ipſâ ætate quâ commendarum uſus inſtitui cæptus eſt Eccleſiæ rebus conducibilis & propitius, erupiſſe abuſum probroſum, & cladem bonorum Eccleſiæ populabilium. Hæc quippè bona, quæ ſunt patrimonium pauperum & vota fidelium, facta ſunt præda hominum apud quos flagrabant vitia

libidinis

libidinis & avaritiæ, qui Ecclesiæ tutores & defensores esse debuerant. Interim verò sincerè fateri necesse est Ecclesiam pravis usibus commendarum nervosè repugnasse quamvis recto consilio, pia mente & applicatâ voluntate semper eis propitia fuerit. Unde manifestum argumentum assumitur ad probandum fiducias quas vocant commendas de se gratiosas & optimas semper fuisse ascesimque earum semper animo benevolo & sancto ab Ecclesia fuisse receptam & perfectam. Quis enim non recognoscat regnantibus Carolo Magno, & Ludovico Pio, receptis & confirmatis commendis abusus & contumelias ex iis erumpentes fuisse confestìm repressas, curâ & vigilantiâ Imperatorum? Hinc quippè capta est occasio sanciendi Decreti, quod incurrit in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii, libro VI. cap. 321. pag. 237. ex quo perspectos habemus conatus, ad reformandos

horribiles abuſus quibus Epiſcopatuum & Monaſteriorum bona Monachorum ſpiritualia & temporalia diripiebantur & uſurpabantur, & in ſumptus pravos & ſupervacaneos inſumebantur. *Omnibus nos ipſos corrigentes poſteriſque noſtris exemplum dantes, qualiter interdicimus, ut nullus laïcus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis Præfectorum, vel Comitum ſæculari poteſtate fultus ſibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocumque modo invadere præſumat Monaſterium aut prædia, vel quaſcumque res de poteſtate Epiſcopi, vel Abbatis aut Abbatiſſæ, & incipiat ipſe vice Abbatis regere & habere ſub ſe Monachos, aut pecuniam poſſidere quæ fuit Chriſti ſanguine comparata. Talem hominem antiqui Patres nominabant raptorem & ſacrilegum, & homicidam pauperum, & diabolum intrantem in ovile Chriſti, & maximè anathematis vinculo damnandum ante Tribunal Chriſti.* Hæc quidem ſolos laïcos homines ſpectant, neutiquam

viros Ecclesiasticos, seû qui clero nomen dederunt. *Nullus laïcus homo.* Quibus nunquam nisi perverso usu Beneficia commendata sunt. Ab eo tempore scilicet octavo sæculo inclinante, quo Ansegisus Archiepiscopus Senónensis Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pii collegit, non destiterunt commendæ Abbatiarum adversus Clericos non Monachos, uti intelligimus ex Decretis Leonis IV. & Innocentii IV. usque ad sæculum quartum decimum, quo tandem, anno MCCCVII. Clemens V. Papa quodam morsu, aut stimulo conscientiæ motus emergens ex ægritudine longâ & periculosâ de salute æternâ seriò cogitans omnes fiducias seû commendas ad vitam, aut perpetuas Episcopatuum & Abbatiarum ob quas Principum & Magnatum rogationibus & postulatis annuerat revocavit. Id vero perfecit solemni diplomate Bullarum datarum Pesaci in Diœcesi Burdegalensi,

anno ſecundo Pontificatus, & refertur in Annalibus Oderici Rainaldi, anno MCCCVII. numero 28.

III. Elapſis hujus Pontificatus diebus res commendarum eodem gradu incedere non deſtiterunt. Seü in uſu recto aut perverſo poſitæ ſunt, modo prohibitæ & aliquando juſſæ & reſtitutæ ſunt ad ſtatum & modum in quo jam permanent. Igitur Clemens V. diſciplinæ commendis propitiæ autor primus fuit & deſertor. Certam eis metam præfigere ſibi perſuaſit in Concilio Viennenſi, ope Decretalis *cum rationi congruat*, quâ præter Monachum eligere vetavit Abbatem cujuſcumque Monaſterii & conceptis verbis declaravit ſe non impedire quominus cujuſcumque Monaſterii quilibet Aſceta in Epiſcopum eligeretur. Porrò quamvis hæc commendas deditâ operâ ſpectare non videantur, attamen certum eſt earum uſum vel abuſum Clementem V. vehementer improbaſſe quo im-

ponebatur uni Monacho ſingulari, aut homini ſæculari & laïco curatio ſeû adminiſtratio ſpiritualis plurium Monaſteriorum cui inſuper conceſſa videbatur facultas abliguriendi & diſſipandi bona temporalia, quæ in uſus pios, levationem pauperum, paſtum Monachorum impendi debuerant.

IV. Verùm cum eâ ætate Monachi plerique vappæ & gumiæ,& otioſi ventres tantùm differrent ab hodiernis Aſcetis Congregationis Sancti Mauri, Ciſtertienſibus, Chartuſianis, & aliis qui bono odore Chriſti orbem terrarum explent quantùm diſtant latrinæ à Cœlo empireo, eorumque multitudine pravâ & innumerabili Clauſtra & Monaſteria explerentur, tanta non habita eſt ratio malorum ex commendis & fiduciis erumpentium. Hi enim Monachi primi & præcipui fuerunt commendarum defenſores & inventores, quas ſibi totis viribus gratiâ quâ ſæpe pollebant apud

principes viros & aulicos homines ſibi procurabant, ut per electiones efficerent plurium Monaſteriorum duces & gubernatores, ſpecie tutelæ & defenſionis, cum ad populationem & integram bonorum everſionem & prædiorum ruinam & cladem non conſolabilem anhelarent. Verum enimverò cùm tot probris vitam ſuam homines cucullati fœdarent, & Monaſteria quæ ipſi ſacraverant; non defuit Summis Pontificibus cauſa quam pretexerent tuendarum commendarum, ut ſæcularibus, ac laïcis Beneficia imponerent. Inſuper Gallia cum ad uſus ſuos rationes commendarum ad tempus tornare non poſſet, omniaque Beneficia in perpetuum data reputaret, non potuerunt poſſeſſores ullatenus abdicari & deſtitui ſeû Beneficiis ritè acceptis ſpoliari. Adeoque nulla differentia inter Beneficium poſſeſſum vi tituli, aut commendæ diſcrimenque ſubſtitit, ut obſervavit ſecundum

Stylum Parlamentorum & Magni Consilii, doctissimus Jurisconsultus Laurentius Bochellus, in Summa Beneficial. verba *Commenda*, pag. 256.

His rebus ita constitutis Summi Pontifices Francorum voluntati annuentes, de perpetuitate commendarum sibi solis vindicarunt jus tribuendi seû concedendi commendas perennes, seû ut loquuntur in perpetuum, indeque hoc pronuntiatum seû effatum Jurisconsultorum ultramontes invaluit, *de Jure supra omne jus Papam habere potestatem in Beneficiis*. Hoc apophtegmate recepto, cum reverâ commendæ jus tantum in prædia & annonam Beneficii vindicare viderentur, Priores Monasteriorum & Abbates facti Commendatarii & perpetui, sivè ad vitæ tempus, Monachos plerosque nebulones & mulierosos strumis otiosæ vitæ deformatos septis Monasteriorum extruserunt, ubi verò permanserunt Abbates & Priores vacui Jurisdictione in Mona-

chos, & omni authoritate ſpoliati, Monachi vero omni obtemperatione ſoluti ſubſtiterunt. Hac agendi ratione, cùm Abbatibus & Prioribus Commendatariis præter otium & dignitatem quandam nihil ſupereſſet, diverſis partitìm inter Abbates & Monachos, bonis fructibus ex prædiis & annonâ provenientibus Abbates & Priores omni reſidentiæ & aſſiduitatis onere ſoluti & immunes reputati ſunt, eaque Abbatum reſidentia confeſtìm ſupervacanea & Monachis oneroſa viſa eſt. Cum igitur ejuſmodi Beneficia ſivè Abbatiæ & Prioratus omni functione vacarent in eodem homine ſociabilia fuerunt, nihilque prohibuit quominus plurium acceſſionibus cumularentur, nec majus incommodum viſum eſt dare uni Epiſcopo duas aut tres Abbatias aut Prioratus, quam adunare Epiſcopatui Epiſcopatum, aut rotundè agglomerare pectinatìm quaſdam Abbatias. Igitur poſtquam com-

mendæ ad hanc metam progressæ sunt & omnes repugnantias cogitabiles sustinuerunt, nihil aliud agendum superfuit nisi, ut confirmarentur & perficerentur modo sancto & tractabili, quo non amplius cupiditatem hominum, aut avaritiam depascerentur, & conscientiam ac fidem inescarent. Eo consilio sibi persuasit Ecclesia nullo vitio, aut probro commendas inquinari, nec usu recipi, nisi ad tutelam & præsidium Ecclesiarum tuendaque bona ex prædiis fructuosis erumpentia adeoque existimavit, & decretoria cogitatione reputavit, 1°. Ad solum Summum Pontificem pertinere plenitudine potestatis eas tribuere, aut postulantibus concedere. 2°. Hominibus dignis & viris probis concedi debere certis vitæ & morum testificationibus exornatis. 3°. Abbatias seû majora Monasteria imponi & commendari non debere nisi viris Sacerdotio initiatis vel confestim post Abbatiæ

attributionem initiandis. 4°. Insuper statuit fore ut ejusmodi Abbates in commendam seû fiduciam perpetuam instituti essent justi & sancti bonorum pauperum œconomi & tutores fidissimi, quos de cætero his virtutibus exornatos & omni ratiocinio administrationis solutos & immunes declaravit. Ad hanc agendi rationem mentem appulit Ecclesia, ut artem vivendi faciliorem & honestiorem Sacerdotibus, & aliis Ministris ad varia Ecclesiæ munera obeunda idoneis aptisque suppeditaret, eisque operæ pretium sivè in libris componendis ad tuendam veritatem, aut verbo Dei prædicando, aut orationibus, aut cura pauperum impensæ liberaliter solveret. De cætero non dubitavit usum bonorum ejusmodi nobilius & liberalius impendi, in sustentandis viris piis, doctis & honestis, de Republicâ Ecclesiasticâ studiis, laboribus, lucubrationibus bene meritis, quam pingue faciendis homini-

bus cucullatis girovagis & ventribus otiosis, mulierosis, vappis & ganeis quibus tot ab huic annis plerumque conspurcabantur Claustra dum probatæ & confirmatæ sunt commendæ antequam Monasteria in melioris ævi & ineuntis ætatis Christiani ritus Priorem formam redigerentur. Hac enim vera causa est & solida utilitas, obquam Ecclesia commendas seû fiducias recepit, & in eo statu confirmavit in quo jam permanent. Quæ quidem in præsens nemini homini in religionem aut scrupulum veniunt, quippè cùm infiniti homines frugi, scientiâ ac virtute illustres, postpositis omnibus scrupulis Abbatias divisìm, aut cum Prioratibus conjunctìm agglomeratas in commendam, ut loquuntur, possideant. Infinita ejusmodi consuetudinis exempla, quæ prodidisse facile est, non referam, quæ nemini impervia aut ignota sunt. Nulla quippe Congregatio aut Societas, sive Sæcularis, sive Regu-

ris in Galliâ poteſt inveniri, nullum Seminarium Clericorum, nullum Sodalitium Monachorum non Mendicantium, ſed ſub Regula S. Benedicti militantium, in quibus viri pietate & ſcientia inſignes non ſint, quin Prioratus in commendam, aut Abbatias non habeant ſcrupis omnibus abrogatis & relictis. Cui enim Doctori in ſanctiſſimâ Sorbonâ noſtrâ, aut ſanctis Sodalibus Congregationis Oratorii, immò Ordinis reformati S. Benedicti aut Ciſtertienſis in Religionem veniat Prioratum aut Abbatiam ſibi oblatam repudiare, aut receptam abdicare, commendatam peſſumdare & abjicere? Immò infinita Beneficia ſimplicia induſtria commendarum ſuis Congregationibus velut Oceano immerſa in viros ſæculares, ut loquuntur, extra ſepta Monaſteriorum non reſiliunt; & ex Averno cujus facilis fuit deſcenſus gradum numquam revocant. Immò verò in his Societatibus & Sodalitiis

non desunt pluribus Beneficiis onerati & exornati. Hanc vero Beneficiorum multitudinem sive ad has angustias redactam esse uni homini licitam, nullis legibus aut juribus repugnantem, bonæ fidei regulis concordem, Historicorum lemmatum ἀνακείσι, atque objectorum solutione & responsione continuo sermone defendam.

CAPUT VII.

Exponuntur causæ legitimæ & justæ, ob quas fatentur concorditer Theologi posse haberi ab eodem homine plura Beneficia.

I. Unicum & singulare impedimentum, quod infertur multitudini seu pluralitati Beneficiorum, oritur ex eo quod unum alteri aggregari non soleat, nisi instinctu libidinis aut avaritiæ. Si igitur hoc impedimentum removeatur quod æquabi-

liter occurrit adversus singulare Beneficium fructuosum & plura tenuiora comparanda, dubitandi locus non relinquitur quin plura non secus ac singulare & unicum possideri, concedi, & obtineri possint ad gloriam Dei & servitium Ecclesiæ, remotis omnibus cupiditatis & avaritiæ impedimentis & illecebris. Hoc velut certum & indubitatum Corollarium colligi potest ex infinitis exemplis virorum illustrium & sanctorum hominum, qui plura Beneficia etiam curam animarum habentia unà possidere, & regimen eorum ac functiones capessere non renuerunt, quæ prodidimus capite 5. hujus Opusculi in quo passìm & affatìm ob oculos incurrunt.

II. Fatentur Theologi nihil vetare aut impedimentum adferre, quin plura simul ab eodem homine Beneficia possideantur, modo ista Beneficia cumulentur via consortionis, ut vocant *adunationis*, ritè perfectæ im-

munitate à Summo Pontifice conceſſâ, cùm tamen non minor ſit occaſio libidinis explendæ aut irritandæ avaritiæ unita & conjuncta Diplomatis Pontificii vi plura Beneficia obtinere quam eadem divisìm aut dividenda poſt mortem integro vitæ curſu ſibi procurare & retinere. Nihil enim prohibet & nullâ lege aut canone interdictum eſt, majorum ſedium in Galliâ Epiſcopis Pariſienſi, Senonenſi, Rhemenſi, & aliis fructibus Abbatiarum Pædo Archiepiſcopali aggregatarum frui, & hos fructus bona fide percipere. Quod quidem nihil aliud eſſe videtur homini qui de poteſtate mentis non exceſſerit, quam bonorum & proventuum multitudinem & cumulum quæ magnum eſſe ſolent libidinis & avaritiæ irritamentum ſub tituli & unitatis paropide occulere & vulgus celare.

III. Nemini homini etiam ſubolet dubium, quin liceat immò & conveniat dignitatem purà Decanatum

Præpoſituram, Archidiaconatum, Cantoratum cum Canonicatu ſub eodem tecto ſeû in eadem Eccleſia poſſidere, quamvis ſæpe dignitatis collatio ad Summum Pontificem pertineat aut in Capituli poteſtate poſita ſit, Præbenda vero ſeû Canonicatus ad Epiſcopum ſpectet, & duo Beneficia conſiſtant titulis & functionibus omninò diſcrepantia.

IV. Poteſt etiam quis unico exornatus Beneficio non competenti nec ſufficienti ad ſimplicem victum & veſtitum, alterum magis fructuoſum ſibi comparare, adeoque multitudo reverà ex ſe ὠστραίνεται multitudo, nihil officit legibus ex ex ritu Chriſtiano in Republicâ dominantibus.

V. Idem contingere poteſt homini tractandis negotiis Reipublicæ Chriſtianæ conducibilibus deſtinato, quibus agendis aut perficiendis pinquiori fortunâ aut uberiori annonâ indiget.

VI. Quando tantâ paucitate Mi-

niſtrorum

niſtrorum laborat Eccleſia, ut iis ad Sacramentorum adminiſtrationem, aut verbi divini prædicationem indigeat, unus poteſt plurium Eccleſiarum res procurare ſivè cum cura, ſivè ſine curâ animarum exiſtant.

VII. Poteſt Eccleſia in titulum ut vocant, poſſideri, & altera in commendam ad tempus teneri, donec Prior aut Abbas, Epiſcopus Titularis electus aut creatus ſit, juxta legem ſancitam à Gregorio IX. in ſecundo Concilio Lugdunenſi. Infrà diſcutiendum veniet qua ratione ejuſmodi commendam ad tempus juſtam & gratam habeat, Placeus Rector Academiæ Pariſienſis, lib. de ſingularitate Beneficiorum, cap. 2. § 2. alteram vero perpetuam à Clemente V. admiſſam & confirmatam repudiare & rejicere non pertimeſcat.

VIII. Hiſce cauſis habendi plura Beneficia accedit octava, cui libenter annuit idem Placeus poſt Concilium Tridentinum, libro de ſingularitate

H

Beneficiorum, cap. 2. § 4. ſcilicet ut quis plures Epiſcopatus minus fructuoſos regere & adminiſtrare poſſit, & poſſidere poſtquam in Concilio Provinciali diſcuſſa & examinata fuerit hujus aggregationis faciendæ neceſſitas in Concilio Provinciali & negotium fuerit integrum ad Summum Pontificem remiſſum, ut ipſe de voluntate ſuâ, aut judicio largiter remittat. Huic ſententiæ totis viribus annuit Dominicus Soto à confeſſionibus Caroli V. Imperatoris, Opuſculo de pluralitate Beneficiorum, pag. 148. pro Epiſcopatibus Italiæ quorum prædia tenuiora, & minus fructuoſa ſunt. Et in hanc rem prodidit quod refertur in Jure Canonico 21. quæſtion. 1. capite *illud*, ubi conceditur, ut idem ſit Archiepiſcopus Terracinenſis & Fundenſis.

IX. Poteſt haberi Beneficium adſtringens ad reſidentiam & curam animarum quod minus fructuoſum ſit & cujus prædia poſſeſſorem alere

neutiquàm possint cùm altero magis competenti & ab onere assiduitatis & curæ animarum immuni & libero, cujus defectu tenerentur incolæ Parœciæ sumptibus propriis aut decimis Pastorem sustentare & alere.

X. Ipsi Patres purpurati Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ad tuendam & sustentandam Eminentiam amplitudinis suæ, quamvis eis interdictum sit possessione plurium Beneficiorum etiam in commendam Sessione 24. Concilii Tridentini possunt recipere plura, cùm unum ad sustentationem eorum honestam non sufficiat. Spero fore ut lectores æqui hujus lucubrationis, ex continenti sermone & veritatis amici prudenter plura requiri sibi persuadeant, & uberiore annonâ opus esse Eminentissimo Cardinali, ad honestam sustentationem, quàm Canonico Nivernensi, aut Senonensi, aut cuilibet urbis, aut ruris Pastori, denique superioribus quàm inferioribus Prælatis.

XI. Concilum Tridentinum, Sessione VII. capite 7. indigitat quasdam adhuc Paræcias Monasteriis annexas aut Canonicatibus, in quibus possunt ab Episcopis Vicarii perpetui constitui & assignatione agrorum, aut tertiæ paris fructuum stipendiari.

Præter istas multitudinis seû pluralitatis Beneficiorum causas vix inveniri posse mihi persuadeo. Verùm cùm eas justas & rationabiles omnes Theologi etiam in re morum stomachosiores & austeriores post Concilium Tridentinum recognoscant: ex his omnibus concludere facile est solitariam Beneficiorum coagmentationem seû pluralitatem, ambitione aut vitiis libidinis & avaritiæ prognatam, esse perniciosam & legibus prohibitam. Quàm cùm nemo Theologus, qui de potestate conscientiæ aut mentis non excesserit, tuendam recipiat: quis totam quæstionem de hanc pluralitate vanam & supervacaneam esse non perspiciat? His un-

decim modis plura Beneficia in eodem homine posse associari defendunt S. Thomas, Dionysius Rikel Carthusianus. Eidem annuit & eorum vestigia ingeminant Cardinalis Cajetanus & Dominicus Soto à confessionibus Caroli V. Imperatoris, cum pluribus aliis magni nominis Theologis & Jurisconsultis quos continuo opere recensebimus. Denique Academiæ Parisiensis Rector Claudius Placeus, qui de hac Beneficiorum materiâ vehementer paratragediat conceptis verbis significat se multitudinem Beneficiorum his conditionibus coagmentatam non improbare, nec impugnare velle, libri de singularitate, &c. capite 2. § 2. & § 4. quæ cum ita se habeant intelligere facile est singularitatem Beneficiorum stabilivisse, contra multitudinem ex solâ avaritiâ & cupiditate erumpentem quam tuendam nec recipere in animo habemus, neque singularitatem eodem avaritiæ vitio &

contumeliâ plerumque inquinatam & contaminatam, si de Sacerdotio pingui & fructuosi prædii quæstio moveatur. His ita subjectis & constitutis facile est intelligere qua de re in hac lucubratione non agatur, & subinde quam difficile fuerit apertè planèque declarare quæstionem, ad quam hic tractandam animum appulimus. Enimverò cum tot in casibus supra positis plura Beneficia possidere nihil prohibeat, annuentibus tot Theologis & Jurisconsultis ad amussim perfectæ dialecticæ colligere oportunum est, multitudinem quam vocant *pluralitatem* Beneficiorum esse licitam & non repugnantem legibus Canonicis. Interim verò cum negari non possit sæpissimè prohibitam fuisse, & eâ hominibus Christianis indesinenter interdictum propter cupiditatem & avaritiam, ex quibus erupisse videbatur; ex his omnibus consequitur necessariò multitudinem & singularitatem Beneficiorum metu

cupiditatis & avaritiæ æquabiliter esse horribiles & pertimescendas. Quamobrem rebus Ecclesiæ valde propitium fore arbitror omnes salebras adæquare, & difficultates explicare quæ in hanc rem proferri solent ex lapidicinis antiquitatis, sivè ratione, authoritate Patrum Conciliorum & Theologorum, qui nomen suum famamque nobilius illustrarant. Sed antequàm enucleatìm & sigillatìm hæc objecta diluere aggrediamur, cum omnes Theologi concorditer fateantur posse absque culpâ & peccato plura Beneficia comparari & unâ procurari, cum unius & solitarii fructus ad sustentationem honestæ vitæ non sufficiunt, quid sit Beneficium seû prædium annuis victibus honesti viri abundanter sufficiens necesse mihi videtur explicare, & ostendere mentem Ecclesiæ Catholicæ semper fuisse, ut haberetur diversa discrepansque ratio virorum nobilium, gradibus fortunæ & literarum

illustrium, & hominum ex inferiori ordine, infimo genere, & imo fortunæ gradu ortorum.

CAPUT VIII.

Quàm difficile sit circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis, summatìm & castigatè assignare, quòd sufficiens est, victibus annuis honesti viri in gradu Ecclesiastico constituti.

I. ANTEQUAM hujusce disquisitionis intima penetrem, subjicere necesse est amorem paupertatis & divitiarum fugam ex charitate Christi, esse apud Christianos quod in virtute summum & perfectum est. Inficias igitur ire nemo potest quin unum singulatìm Beneficium immò & plura Beneficia repudiare magna laude & singulari commendatione dignum sit. Cùm præsertìm, ex eo genere sumus quo majores nostri amplum abundansque patrimonium nobis

nobis reliquerunt, ſufficienſque ad vitam honeſtè ac moderatè ſuſtentandam. Sed non omnibus impoſitâ pœnâ peccati mortalis ad ejuſmodi virtutis faſtigium aſcendere præſcriptum eſt. Verùm enim verò fateri opus eſt plurimos homines non egere Beneficiis, iiſque ſe abſtinere poſſe, qui quidem iis acceptis optimè de Eccleſiâ merentur, eique officioſos labores reddunt. Relictis antiquorum exemplis noſtrâ ætate vidimus in florentiſſimo Eccleſiæ Gallicanæ Clero ſanctiſſimos Epiſcopos clariſſimo genere ortos ac patrimonio largiter locupletatos, quod in pauperes & inopes ſuarum diœceſeon liberaliter cum fructibus Epiſcopatuum effuderunt. Tales homines tantique viri extiterunt Nicolaus Pavillonius Epiſcopus Electenſis, Nicolaus Choartius Buzanvallius Bellovacenſis, Fœlix Vialartius Cathalaunenſis, pauciſque ab hinc annis è vivis diſceſſerunt, Henricus Barillonius Epiſco-

pus Lucionensis, & Eminentissimus Cardinalis Camusius Episcopus & Princeps Gratianopolitanus, qui amplo patrimonio donati in pauperes liberaliter effuso ad eum perfectionis & virtutis gradum pervenerunt, ut nec in alia pinguiora Beneficia transferri, nec magis fructuosa suis aggregari postulaverint. Tantos viros admiratione ferè omnes, imitatione paucissimi homines consequuntur, quos imitari consilium plenum prudentiæ & fidelitatis est, non præceptum impositâ pœnâ damnationis æternæ. Ut cumque res sint non omnibus à cœlo datum est in tam sublimi humilitatis gradu collocari; nec propterea diffiteri possumus ad justam & æquam honestatis bilancem deberi hominibus sustentationem & victum necessarium habitâ ratione variarum discrepantiumque conditionum seû ordinum & institutorum vitæ, in quibus eos versari & collocari Deus voluit. Uberiori fortunâ

opus eſt Regi & Principi, quàm Senatori, aut civi viro nobili, & claro genere orto quàm infimo, Toparchæ quàm villico, Senatus Principi quàm litium aut cauſarum cognitori, aut Patrono. Eadem vivendi ratio haberi & conſtitui debet in clero. Quamvis enim modeſtia & temperantia in victu & veſtitu Miniſtrorum Eccleſiæ indeſinenter tuenda ac ſervanda ſit, in ſumptus neceſſarios plura debentur Epiſcopo quàm ſimplici Preſbytero, plura Sacerdoti docto, verbi divini concionatori, egregio Scriptori & Autori Eccleſiaſtico veritatis defenſori, quam ſymphonico aut homini bardo ac balanofago, otioſo & inerti. Nam ut ait Gerſon Cancellarius Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis, pag. 202. in Sermone de tribulationibus & defectuoſo Eccleſiaſticorum regimine: *Ex naturali prudentiâ & morali Philoſophiâ ſimiliter & Theologiâ conceditur quod Eccleſiaſtici debent habere unde poſſint honeſ-*

tiùs vivere quàm populares, & Prælati quàm subditi. Quamobrem ad mentem S. Pauli dicentis, *qui benè præsunt Presbyteri duplici honore habeantur.* Ecclesia Catholica in Conciliis Lateranensi IV. sub Innocentio III. Viennensi sub Clemente V. & Tridentino sub Pio IV. Sessione 24. comprobarunt certis in casibus suprà relatis multitudinem seû pluralitatem Beneficiorum, habendamque rationem sibi persuaserunt variorum & discrepantium Graduum & Ordinum, in quibus meritis, virtute, literis, generis amplitudine & sanguinis nobilitate homines collocantur.

II. Præter conditionem seû sortem generis, gradus, aut amplitudinis, necesse erit examinare quid summatìm & particulatìm ad hanc sortem seû conditionem sustentandam necessarium sit, nam cum alia tempora alios mores postulent eorum habitâ ratione definiendum erit an possint, vel non possint plura Beneficia ab eo-

dem homine possideri. Enimverò si ætate nostrâ quis obtemperare vellet sententiæ quam Facultas Parisiensis tulit, anno MCCXXXVIII. qua statuit proventum quindecim librarum sufficere annuatìm victui & honestæ sustentationi viri frugi: Quis ejusmodi paupertate ditatus sibi persuaderet non posse uni Beneficio alterum associare sine periculo incurrendi peccati gravissimi? Ejusmodi agendi ratio non solum incredibilis, verum etiam nulla industria tractabilis videretur. Sed subjiciamus jam vicissitudine temporum loco quindecim librarum assignari quingintas & mille libellas pro victibus honesti viri sufficient ne sustentationi honestæ Cardinalis aut Episcopi, Abbatis vel Canonici Ecclesiæ Cathedralis aut Regiæ? Quid enim ad eleemosynas faciendas supererit, victum & vestitum, moderatam suppellectilem & honestum instructum, solutis decimis ordinariis & extraordinariis & vectigalibus capitu-

latìm ſubvenientibus & aliis infinitis quorum exactoribus Cleri Gallicani Patres noſtris diebus infæliciter ſe permiſerunt. Conſtat igitur nihil magis arduum ac difficile eſſe quàm caſtigatè definire & ſtatuere modum ſufficientis, annuis victibus & honeſtæ ſuſtentationi cujuſcumque ſivè Sacerdotis, ſivè majoris, aut minoris Eccleſiæ Miniſtri. Quippè cùm ratio ſemper habenda ſit variæ ſortis ac diſcrepantis hominum, non ſecùs ac temporis variis & diverſis mutationibus obnoxii. Adeoque non potis eſt normam certam ſtabilire juxta quam generatìm & generaliter, pro omnis generis gradus & ordinis hominibus definiatur & quod ſufficiens victibus & ſuſtentationi honeſtæ conſtituatur.

III. Cùm Eccleſia ſibi ſemper perſuaſerit viros ſuis officiis mancipatos, quacumque amplitudine exornatos, in eâ debere ſe modeſtè gerere, ſumptuſque ſuos moderatè face-

re; uberiori fortunâ opus esse non reputavit quam eâ quæ sufficiens & necessarium suppeditaret ad victum honestum & temperatum, adeoque semper in conscientiæ potestate reliquit judicium decretorium de sufficienti & necessario annuo victui & honestæ sustentationi Episcopi, Abbatis, Prioris, Canonici & aliorum, atque his gradibus & ordinibus varias discrepantesque conditiones seû sortes impositas fuisse non dubitavit variis sumptibus obnoxias. Eâ mente majora Beneficia, seû magis fructuosa viris sublimibus, doctis & literatis adscripsit in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. Nec propterea timuit ne cupiditati, aut avaritiæ hominum blandiri, aut assentiri videretur. Cùm præsertim ex Jure Canonico intelligamus existimasse fructus Beneficii annuis victibus possidentis sufficientes, non solùm personam Cardinalis Episcopi, aut Abbatis spectare, vel Canonici

aut Curati; sed instructum, suppellectilem, famulos, & comitatum ad temperatos scilicet honestos mores efformatum. Quod patet distinctione 1ª. Canone 39. 1ª. parte Decreti. *Verùm si Presbyter adeò vestro studio obnoxius forte claruerit, præcipimus ut tale Beneficium sibi Ecclesiæ suæ concedatur, quod & ipse &* sui *sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium*, ut habet Glossa in Caput *Extirpandæ* de Præbendis. *Beneficii reditus debent esse sufficientes nedum Clerico, sed etiam & suis famulis, si qualitas personæ patitur ipsum habere famulos*. Fusiùs se explicat eadem Glossa in Caput *Conquærente de Clericis non residentibus*, & in Caput *Cùm adeò. De rescriptis. Beneficium ut dicatur sufficiens plura sunt consideranda, putà nobilitas & scientia: dignitas etiam considerari debet, ita quod possit sufficere sibi & suis, & hospitalitatem servare & jura Episcopalia solvere.* Eam ob rem Joannes Major in IV. distinctione 24. quæst. 13. commentitium

reputat Decretum Facultatis Parisiensis, anni MCCXXXVIII. asseritque eo tempore non quindecim libras, sed viginti assignitas fuisse, quæ ut putat Major centum *francis* pares erant. Ibidem arbitratur viro Theologo, aut qui cum Theologo comparari queat, ducentorum aureorum summam annuatim non exitio futuram, qua se duosque famulos alere possit & equum, præterea modestam suppellectilem habere ac copiam librorum necessariam. Quod si non Plebejus homo, sed claro genere ortus, plus etiam ex Majoris sententiâ habere posset, neque ei pernicies foret ducentorum aureorum pecunia singulis annis benè & arithmeticè soluta ad vitam modestè sustentandam. Concilium Basileense, Sessione XXXI. quæ habita est nono Kalendas Februarii, seû 24. Januarii, anni MCCCCXXXVIII. in qua exposuit *qualificationes* & Ordinem in conferendis Beneficiis per Ordinarios, postquam

lege ſancivit tertiam partem Præbendarum eſſe conferendam graduatis alias idoneis, hanc exceptionem conſtituit. *Quod ſi quis ex dictis qualificatis, ſeû Doctoribus & Licentiatis, tempore vacationis Prabenda ſeû Dignitatis ejuſmodi alias duas obtineat Prabendas ſeû Dignitates, aut Prabendas vel aliud ſeû alia Beneficium, aut Beneficia quod vel qua reſidendo in altero ipſorum & horis divinis intereſſendo valeret ſeû valerent uſque ad ſummam ſeû aſtimationem ducentorum florenorum camera, ſimiliter quicumque duas Prabendas Cathedrales obtinuerit nullatenùs in ipſa tertia parte includi ſeû comprehendi cenſeatur.* Ex qua intelligere facile eſt non ita ſtrictè definiviſſe Patres hujus Concilii quod ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, cùm ducenti floreni cameræ longè ſuperent ſummam quindecim & viginti librarum. Hoc ſtatutum Concilii Baſileenſis refertur à Papa Adriano VI. in IV. Sententiarum diſputatione de

restitutione quæst. *quia in premissis*, col. 7. folio 88. sed existimat stipendium hoc ducentorum aureorum esse nimium & redundans homini simplici & idiotæ. Porrò ex his planissimè patet, nihil magis latere mentem humanam quam definire in quo consistat illa summa sufficiens annuis victibus honesti Clerici. Joannes Major & Doctor Navarrus Aspilcueta, & Adrianus VI. particulatìm hanc materiam tractarunt, & quid cuique necessarium sit enucleatiùs aliis Theologis definierunt, sed in varias adeo discrepantesque sententias iverunt, ut nihil certi, nihil quod ullâ ratione infirmari possit prodiderunt; quod lectoribus hujus lucubrationis faciliter perspectum fore ex continuenti Sermone non dubito.

IV. *Joannes* igitur *Major* Scotus insignis scholæ Parisiensis Theologus in IV. Sententiarum distinctione 24. quæst. 18. mentis anceps & æquilibris in assignanda portione sufficien-

ti victibus annuis honesti viri in aliquo gradu Ecclesiæ constituti, orsus ab Episcopis tribuit eis quorum opes mediocres sunt ex bonis & fructibus Beneficii quo se ac duodecim, quatuordecimve famulos alere & sustentare possint, tametsi rectiùs facturi essent, si minore vectigali & familia contenti essent. Majoris Ecclesiæ Canonico & Parocho uberioris fortunæ alimenta pro se, pro duobus famulis & equo partitur, reliqua in usus pios vult absumi. Insuper autor est hominibus titulis Beneficiorum exornatis & leviori literaturâ
» oneratis ut à viris Dei timore & pru-
» dentiâ præditis consilium petant,
» ut ex eo benè ac sapienter intelli-
» gant quantùm sufficiat pro suo sta-
» tu, & studeant omnes declinare ad
» extremum illud ut parum expen-
» dant, quia reverà illic non est ex-
» tremum pertimescendum quan-
» tumcumque tenuiter se nutriant:
» dummodo reliqua dentur in pios

usus. Id ipsum dicere potuisse de Canonico majoris Ecclesiæ & pingui Parocho existimavit Paulus Comitolus Societatis Jesu, meo quidem judicio, Casuistarum Phænix Responsorum Moralium, lib. 1. quæst. 74. pag. 160. numero 30. editionis Lugdunensis, anni MDCXIX. ibidem asserit opinionem hanc Majoris sumptuumque subductam rationem revinci iisdem argumentis quibus opinio Navari. At verò doctissimus Aspilcueta dictus Navarrus, quàm difficile & arduum sit definire hanc quæstionem de sufficienti, maxime sensit, quippè cùm ad senium vergens doctrina & religione præstans, eam prosecutus sit à numero 69. ad 74. capite 22. de Oratione & Horis Canonicis & numero 69. manifestè declarat se semper hanc rejecisse quæstionem, nec eam attingere ausum esse. Numero vero 73. scribit se tùm à Sacerdotiorum possessoribus cùm Sacerdotibus pœnitentiæ præ-

fectis millies rogatum fuisse, ut suam sententiam de illo Beneficio quod uni sufficere videretur explicaret, ac toties eorum rogationibus abnuisse, sed tandem aliquando precibus & penè conviciis victum annuisse. Simplici igitur Clerico satis putat illud esse Beneficium, unde illi & uni Ministro suppeditetur ad victum & conductæ domus pretium solvere possit. Nobili verò in inferiore gradu Theologiæ Magistro, nec non Jurisconsulto Doctoris Laurea exornato & mediocris literaturæ, istiusmodi Beneficium sufficere quo tùm suam vitam & victum, tùm duorum Ministrorum & unius coqui colere possit, uni equo cibaria subministrare & domus quæ honestior sit quàm simplicis Clerici conductæ mercedem solvere. Hominem nobiliori sanguine satum filium fratremvè Baronis, Vicecomitis, Doctorem, sive Magistrum literarum gloriâ præstantem subsidiis carere non sinit unius coqui, quatuor Mi-

niſtrorum, equi unius: noſtrâ ætate fortè carpentum non ducegaſſet, & commodiorem domum. Filio vel fratri alicujus Ducis aut Marchionis è mediâ conditione Comiti id Beneficium attribuit ex quo ſibi, uni coquo, octo Miniſtris & duobus equis neceſſarii inſtructus ſumptuſque ſuppeditentur, & pecunia pro domo conducenda ampliore & meliore quam aliorum Ordinum & Graduum. De cætero Provinciam deſiniendi ſufficiens Beneficium & fratribus Regum, Principum, Ducum, Marchionum & Comitum, maximi Ordinis, illis relinquit, quorum imagines lambunt hederæ ſequaces & qui res aulicas Chriſti Philoſophiâ rectas meliùs quàm ipſe noverint.

V. At verò hæc inſtructus ac ſumptus Eccleſiaſtici ratio, quamvis honeſta videatur & temperata, multis laborat incommodis. Quippè cùm eorum quæ in conſultationem veniunt, nequeat lex conſtitui, ut in-

quit Aristoteles, lib. 3. Politicorum, capite 12. cum de singulis rebus instituatur deliberatio & consultatio lex verò sit de universis. Igitur Martinus Navarrus ea finivit quæ definiri non possunt, sed humanarum rerum consultatrici & consultrici prudentiæ sunt remittenda; ut benè ac sapienter observat Comitolus loco jam laudato additque conceptis verbis quæ hîc prætermittere tædio maximo esset, lib. 1. quæst. 74. pag. 160. & 161. numero 5. *Et sicut haud sapientis esset medici generali Decreto eundem victum cibique & potionis mensuram præscribere iis omnibus in quorum corporibus, aut bilis, aut pituita, aut sanguis, aut atrabilis redundat, nec eadem dicta cunctis, aut Italis, aut Gallis, aut Hispanis, aut Germanis imperanda esset, propterea quod unicuique sui caloris insiti & suæ naturæ firmitas vel imbecillitas cibum potumque admetitur, sic æqui æstimatoris justâ lance singulorum officia ac merita ponderantis esse non potest, ut cùm inæqualia sint hominum*

hominum officia & merita iis æquale præmium mercedemque decernat.

Aliud incommodum ratiocinii Navarri erumpit à primo, quod ad unam ſummam refert ea quæ ejuſdem ordinis hominibus diſtribui oportet. Quorum etſi par ſit & æquabilis nobilitas reliqua tamen merita, famæ, prudentiæ, ſcientiæ, eloquentiæ, gravitatis, virtutis, pietatis, & religionis diſſimilia ſunt & valde diſcrepantia, quibus tamen paria danda eſſe præmia Navarrus decernit, quod à nemine homine defendi poteſt, qui de poteſtate prudentiæ & juſtitiæ non exceſſerit, ut obſervat ibidem Comitolus.

Tertium denique vitium in eo poſitum eſt, quod in aſſignatione uberioris annonæ ex prædiis Eccleſiaſticis erumpentis, hoc genus hominum prætermiſit in cujus manibus Chriſti patrimonium, & gazæ Eccleſiæ, quæ ſunt vota fidelium, pars maxima verſatur, Epiſcopos ſcilicet Ar-

K

chiepiſcopos, Patriarchas, Cardinales, Pontifices maximos quibus ſuum cuique æs proprium aſſignare hominis prudentis virique ſapientis eſſe videbatur. Quis verò jam hæc omnia veluti lemmata ſeû ſumptiones non intelligat? ex quibus Corollaria ad Juris & rectæ rationis apices colligantur. 1°. Nihil magis arduum ac difficile eſſe quàm firmiter definire & conſtituere in quo conſiſtat ſufficiens annuis victibus & ſuſtentationi honeſti viri in aliquo ordine, aut gradu Eccleſiaſtico conſtituti. 2°. Adeo difficile eſſe ſtatuere & definire in quo illud ſufficiens conſiſtat, ut reverà fieri non poſſit. 3°. In hoc genere definitionis nihil reſtat quod ſequi poſſimus præter regulam ab Adriano VI. poſitam, quàm non lex ulla univerſa ſed prudentia adfert: ad quàm Decretum ſuum in hoc genere vir ſapiens diriget ut perſpectis iis omnibus quæ in patrimonio Chriſti partiendo conſiderari debent, unicui-

que de bonis Ecclesiæ tantùm detur, quantùm ejus meritis, obsequiis, laboribus, virtuti, prudentiæ, cæterisque qualitatibus debetur. Hanc regulam probasse Gabrielem in IV. distinctione 15. quæst. 8. articulo 2. consil. 4. & multis ante annis, Henricum Gandavensem observat Comitolus, pag. 161. consil. moralium, lib. 1. quæst. 74. numero 7. qui eam ipse sequitur. Nec posse generatìm definiri, quid sufficiens sit honesto viro habitâ ratione temporis, conditionis & sortis cujuscumque arbitratur & sentit.

CAPUT IX.

Explicatur Concilium Chalcedonense, celebratum anno Christi CCCCLI. *de multitudine Beneficiorum.*

OMNES homines qui sibi persuadent non posse plura nisi instigatione cupiditatis & avaritiæ comparari Beneficia, quorum ducem &

velitum principem ſe conſtituiſſe videtur Claudius Placeus Academiæ Pariſienſis Rector, anno MDCL. libro ſulphureæ mentis de hac materiâ in lucem publicam emiſſo: proferre ſolent Canonem decimum actionis XV. Concilii Chalcedonenſis his verbis expreſſum, μὴ ἐξεῖναι κληρικὸν ἐν δύο πόλεων κατὰ ταυτὸν καταλέγεσθαι ἐκκλησίαις ἐν ᾗ τε τὴν ἀρχὴν ἐχειροτονήθη, καὶ ἐν ᾗ προσέφυγεν, ὡς μείζονι δῆθεν, διὰ δόξης κενῆς ἐπιθυμίαν. τοὺς δέ γε τοῦτο ποιοῦντας ἀποκαθίστασθαι. Τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ ἐν ᾗ ἐξ ἀρχῆς ἐχειροτονήθησαν, καὶ ἐκεῖ μόνον λειτουργεῖν. *Non liceat Clericis in duarum urbium* ſimul *conſcribi Eccleſiis & in qua ab initio ordinatus eſt, & ad quam confugit quaſi ad potiorem ob ſuavis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad ſuam Eccleſiam in qua primitùs ordinati ſunt, & ibi tantum miniſtrare.* Hunc Canonem alteriùs acceſſione cumulant, ſcilicet vigeſimi ejuſdem Concilii his verbis* concepti κληρικοὺς εἰς ἐκκλησίαν τελοῦντας, καθὼς ἤδη ὡρίσαμεν, μὴ ἐξεῖναι εἰς ἄλλης πόλεως τάττεσθαι ἐκκλησίαν. *Clericos in Eccleſiâ miniſtrantes,*

ſicut jam conſtitutum eſt, in alterius civitatis Eccleſiâ ordinari ſeù collocari non oportet. At verò cùm in fine iſtorum Canonum Clericis & Epiſcopis eis obtemperare præſcriptum ſit, impoſitâ pœnâ abdicationis & excommunicationis, quibus nec graviores nec majores ab Eccleſiâ exigi poſſunt, hæc aſſumuntur ad concludendum non poſſe hominem in duabus Eccleſiis conſcribi, ſeû duo aut plura Beneficia poſſidere in diverſis urbibus ſine crimine & graviſſimo peccato. Quippè cùm nihil magis à ſenſu communi hominum alienum eſſe videatur, juſtitiæ & æquitati repugnans, quàm leviori, aut nulli potiùs peccato, pœnam graviſſimam imponere; hæc quidem applicatâ mente & multâ cogitatione reputanda videntur.

I. Hæc vox, SIMUL, quæ in hujuſce Canonis verſionibus incurrit, expungi debet, quæ in græco antographo non exiſtit, immò in quo hæc leguntur κατὰ ταυτὸν quæ ſignificant

per seipsum non licere Clerico seû propriâ authoritate comparare plura Beneficia. Quis enim ejusmodi opinionem tuendam recipiat? Cùm omnes libenter fateantur Theologi sine Licentia, aut dispensatione non posse plura Beneficia coagmentari seû conjunctìm possideri. Eâ de causâ his Canonibus x. & x x. Concilii Chalcedonensis his conscriptionibus in duabus Ecclesiis æquabili ratione interdictum est Clericis. In quibusdam exemplaribus loco κατὰ ταυτὸν hæc leguntur κατὰ τὸ αὐτὸ quæ significant *propter hoc ipsum*, & in nullis legitur ἅμα vel ὁμοῦ συνδυαστικῶς aut κατὰ συμπλοκὴν, quæ significant *simul* & conjunctìm. Adeoque concludere necesse est ex hoc Canone x. Chalcedonensi possessionem plurium simul Beneficiorum neutiquàm fuisse Clericis vetitam, sed solùm volentibus per seipsos, hoc est, propriâ authoritate, omni dispensatione aut immunitate postpositâ comparare.

II. Luce meridianâ clariùs patet hoc Canone x. prohiberi tantummodo tranſlationem Miniſtri Eccleſiaſtici ab unâ urbe in aliam, uti intelligitur ex his verbis, *in qua ab initio ordinatus eſt, & ad quam confugit quaſi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem.* Quæ renovationem Decreti Concilii Sardicenſis ſeû Niceni ſignificant, quibus, omnibus, ſive ſuperioribus, ſive inferioribus Eccleſiæ Miniſtris, omni tranſlatione interdictum eſt, quod perſpectum eſt continenti Sermone hujus Canonis X. Chalcedonenſis, εἰ μὲν τοι ἤδη τις μετετέθη ἐξ ἄλλης εἰς ἄλλην ἐκκλησίαν...... μηδὲν τοῖς τῆς προτέρας ἐκκλησίας ἐπικοινωνεῖν πράγμασι. *Si verò jam quis tranſlatus eſt ex aliâ in aliam Eccleſiam prioris Eccleſiæ rebus non communicet.*

III. Etiamſi hoc Canone x. Chalcedonenſi interdictum ſit omnibus Clericis multitudine ſeû *pluralitate*, ut loquuntur, Beneficiorum, cùm certum ſit ea ætate nullum extitiſſe

cui servitium & ministerium functionum Ecclesiasticarum non fuisset annexum & debitum, rationibus circumspectis Ordinis Presbyteratus, Diaconatus, aut Subdiaconatus & residentiæ Beneficia hic Canon spectare non posset, præter ea, quæ functionibus sibi relictis & annexis sunt insociabilia; adeóque nihil ex hoc Concilio concludi, aut assumi posset adversus multitudinem & coagmentationem eorum quæ functionibus carent, nullique assiduitati obnoxia consistunt. Ita verò se rem habere testificantur evidenter antiquæ versiones Latinæ hujus Canonis decimi Chalcedonensis, quæ in antiquis Codicibus Collectionum Canonum incurrunt, in quibus horum verborum loco *conscribi in duarum Civitatum Ecclesiis*, hæc habentur, *militare & ministrare:* quæ functionem, laborem, ministerium, servitium Beneficio & muneri Ecclesiastico annexum, & adhærens significant. Quod perspectum

tum

tum habere facile est ex Canonibus x. & xx. Concilii Chalcedonensis in Codice Ecclesiæ universalis Dionysii exigui, qui vixit anno Christi DXXV. quem publici juris fecit Christophorus Justellus, & ex antiquâ collectione Canonum, quàm Willelmus Voellus Socius Sorbonicus, & Henricus Justellus Christophori filius typis exprimi curaverunt, anno MDCLXI. in qua hæc leguntur, *Clericos in Ecclesiâ militantes sicùt jam constitutum est non licere in alterius civitatis Ecclesiâ ministrare.* Eadem prorsus conceptis verbis occurrunt, in antiquissimo & amplissimo Codice Canonum in lucem edito à doctissimo nostrate Paschasio Quesnello Oratorii Jesu Christi Presbytero in appendice operum S. Leonis, anni MDCLXXV. Quæ cum ita sint nullus dubitandi locus relinquitur, quin Concilium Chalcedonense omnem prorsus mentionem de Beneficiorum multitudine prætermiserit. Si quis verò in hac opi-

nione tuendâ adcò morosus & contumax sit, fateatur necesse est, hoc Concilium solitaria Beneficia seû munera Ecclesiastica spectasse, quibus functiones cum assiduitate seû residentiâ insociabiles annexæ permanserunt, de quibus inter doctos nulla jurgii aut disputationis causa potest inferri.

IV. De hoc Canone Chalcedonensi silentio prætermittere non debemus, omnes quos prodere solent viri docti hujus Concilii Canones, non æquabili lance & pondere librari cum aliis hujusce Concilii Decretis adversus Eutychem & Dioscorum prolatis. Quippè cùm post habitum Concilium isti Canones conditi fuerint, & discessum legatorum Sancti Leonis Papæ, non confirmantis nec approbantis cùm cæteris hujusce Concilii actis. Quamobrem ex his concludere possumus, hos Canones nullâ authoritate Synodicâ fulciri, quos stante Concilio neutiquàm in

deliberationem venisse constat, ut observavit Binius, cum pluribus Theologis orthodoxis in suis ad hoc Concilium notis.

CAPUT X.

Explicatur secundum Concilium Nicænum regnantibus Constantino & Irene matre, celebratum anno DCCLXXXVII.

I. Huiusce Concilii actione VIII. editionis græcæ duo & viginti referuntur Canones quorum 3. prohibita videtur multitudo Beneficiorum, ferè conceptis iisdem verbis, quibus eâ in Concilio Chalcedonensi singulis Clericis interdictum est. Κληρικὸς ἀπὸ τοῦ παρόντος μὴ καταστέσθω ἐν δυσὶν ἐκκλησίαις. Ἐμπορείας γὰρ καὶ αἰσχροκερδείας ἴδιον τοῦτο καὶ ἀλλότριον ἐκκλησιαστικῆς συνηθείας. *Clericus præsenti tempore non adnumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim est hoc tempus commodi proprium & ab Ecclesiasticâ consuetudine penitùs alie-*

num. Sed ut cumque res ſint, minimè ſpectat hic Canon, non ſecus ac Chalcedonenſis, multitudinem Beneficiorum, ſed ſolummodò interdicit Clericis nè functionibus aut muniis inſociabilibus & repugnantibus aſſiduitatis & reſidentiæ ſe implicent, aut conſtringant aliis, quàm ab Epiſcopis in χειροθεσίας ritu ſibi impoſitis. Quippè tunc temporis ignota erant qualia ſunt hodie Beneficia ſimplicia & functionibus expertia, nondum Capellani, Canonici, Decani, aut præpoſiti Capitulorum eruperant, nec munera aut functiones obeundæ ſubſtiterant à Magiſtratibus aut Miniſtris Eccleſiæ, præter impoſitas penſitationes ab Epiſcopo cum Clerici Preſbyteratu, Diaconatu, aut aliis Ordinibus initiarentur: quæ non recipiebantur niſi ſub conditione perpetuæ aſſiduitatis in Eccleſiâ in qua fuerant χειροτονηθέντες, nec miniſtrabant, aut militabant ſecundùm antiquas verſiones, ſeû non conſcri-

bebantur nisi ubi primum fuerant ordinati μὴ ἐξεῖναι Κληρικὸν ἐν δυὸ πόλεων κατὰ ταυτὸν καταλέγεσθαι ἐκκλησίαις ἐν ᾗ τὴν ἀρχὴν ἐχειροτονήθη. Si forte Clerici impositione manuum semel initiati à proprio Episcopo, ab alienæ Diœcesis Antistite conscribebantur negotiationis aut turpis lucri commodi proprium reputabatur & ab Ecclesiasticâ consuetudine penitùs alienum. Ἐμπορείας καὶ αἰσχροκερδείας ἴδιον τοῦτο ἀλλότριον ἐκκλησιαστικῆς συνηθείας.

II. Concilium Nicænum secundum non spectasse Beneficiorum multitudinem adeo manifestè patet, ut eam in quibusdam casibus approbare non renuat in rem & utilitatem Ecclesiæ; quàm vult esse indulgentiâ liberalem in Clericos præsertim in Ecclesiis ruralibus conscribendos: adeoque severitatem executionis hujusce Canonis ad solam urbem Nicænam perstringit, & hac quidem, inquit, *in hac adeo conservanda sunt urbe*, καὶ ταῦτα μὲν ἐν ταύτῃ τῇ θεοφυλάκτῳ πόλει.

Cæterum in villis quæ foris sunt propter inopiam hominum indulgeatur. ἐν δὲ τοῖς ἔξω χωρίοις διὰ τὴν ἔλλειψιν τῶν ἀνθρώπων παρεχωρείσθω; constat ergo multitudinem Beneficiorum nihil officere legibus Ecclesiæ ex cupiditatis aut avaritiæ sinu non exortam, immò verò ex desiderio officiosi laboris ei peramanter præstandi.

III. Adeo alienus à vitiis Clericorum erat hujus Concilii animus, præsertim ab avaritiâ, quæ radix malorum omnium semper visa est, ut reverà maluerit & satiùs duxerit permittere Clericis in aliqua arte mechanicâ versari, quam insociabilis & repugnantis residentiæ functiones in suis Ministris sustinere Ascesi antiquæ in Concilio Carthaginensi sancitæ non abnuens, sed jam prorsùs abrogatæ. Quippè nostrâ ætate contumeliâ magis probrosâ fœdari viderentur Clerici, qui artem aliquam tractarent, putà sutoriam aut crepidariam, quàm si Canonicatu,

cum aliquo Prioratu aut Abbatia onerarentur, artes enim infimas colere ne Miniſtri Eccleſiæ ſordeſcere videantur ab omnibus fere Conciliis Provincialibus poſt Concilium Tridentinum habitis interdictum eſt, quaſi omnes opifices in arte ſordidâ verſarentur, nec quicquam ingenuum habere poſſet officinæ compago aut tabernæ. An benè ac ſapienter mutata tempora alios mores admiſerint hîc non anquirimus, ut cumque ſit, ita ſe rem habere, & in more poſitam eſſe nemini homini dubitandi locus relinquitur.

IV. Senſum alium aut diſcrepantem huic Canoni Nicæno non adſcribit Theodorus Balzamon, obſervat tantùm in remedium avaritiæ Clericorum ſancitum fuiſſe; qui ſpe lucri ſibi munera & officia repugnantia in variis Eccleſiis comparare nitebantur. At verò obſervat cùm ejuſmodi finem & exitum non habent abdomen inſatiabile libidinis & avaritiæ

jucundissima voluptate explere, sed immò debitis Officiis Ecclesiæ satisfacere; tunc potuisse in duabus Ecclesiis conscribi, præsertim villarum & ruris quæ plerumque desertæ sunt, & Ministris famem & sitim gravesque irritatæ necessitatis morsus perhorrescentibus carent. Idem Balzamon qui anno octuagesimo sæculi duodecimi vixit observat suâ ætate neminem legi hoc Canone sancitæ obtemperasse, causamque inobedientiæ refert in neglectum exigendæ pœnæ detractoribus impositæ. *Hodie contra in externis regionibus propter imperialem Sacerdotum excusationem, plures sunt Clerici in Ecclesiis, & ideò nullus in duabus Ecclesiis constituitur. In Reginâ autem urbium non solum in duabus, sed etiam in pluribus Ecclesiis constituuntur. Ut autem verisimile præsens Canon neglectui est habitus eo quod non puniantur ejus infractores, vel propter Ecclesiarum multitudinem, vel propterea quod qui digni sunt unâ cum rebus in angustum contracti sunt. Qui au-*

tem dicunt Canonem tractare de iis qui volunt ordinari in duarum urbium Cleris malè dicunt, alii enim Canones eos vehementissimè puniunt.

CAPUT XI.

Explicatur sententia S. Bernardi Abbatis Clarevallensis, qui obiit ætatis LXIII. *anno Christi* MCLIII.

SANCTI Bernardi sententiam objicere solent adversarii, ut nostram frangant de multitudine Beneficiorum. *Qui non unus sed plures est in Beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis*, quàm accessione cumulant Epistolæ 271. ejusdem Patris, qui vulgò discipulus Scripturæ & Traditionis accedit ad Theobaldum Campaniæ Comitem, qui multis rogationibus eum induxerat, ut gratiâ qua maximè valebat suo nepoti ex filio genito ineuntis ætatis obtineret. *Porrò* inquiebat Sanctus Bernardus, *Digni-*

tates acquiri parvulo filio vestro precibus meis vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatoriè *quidem ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem vel personarum utilitatem.* Hunc locum prodidit amplissimè Placeus in libro de singularitate Beneficiorum, pag. 280. capite 3. § 4. & ait, *digna certè Epistola est quæ attentissimè perlegatur, agebatur de pluralitate ob tuendam Principis dignitatem & splendorem in Ecclesia, nec tamen ideo Bernardo licere habere plura Beneficia videbatur.* Et addit hæc verba ejusdem Epistolæ Sancti Bernardi, *sane Wilelmo*, inquit Sanctus Bernardus, *cupio bene omnia, sed ante omnia Deum, nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum.* Nihil summatìm proferri posse videtur quod nervosiùs opinionem frangat multitudini Beneficiorum propitiam, quam comparare Wilelmo Theobaldi Comitis Campaniæ filio, tantæ

pietatis ac religionis instigatione renuebat. At verò urgentissima testimonia responsione carere turpissimum foret.

I. Igitur dico sententiam Sancti Bernardi, quæ tot viros multitudine Beneficiorum exornatos flammis æternis devovet, non spectare multitudinem Beneficiorum quàm tuendam recepisse videmur; sed lege residentiæ & functionum repugnantia adstringentium, adeóque insociabilium, qualia sunt Episcopatus, Curæ Parochiales, Decanatus Capitulorum, Præpositituræ & Canonicatus Ecclesiarum insignium, quæ sibi immunitatem ab assiduitate continuâ in Urbe, Choro aut Capitulo vindicare non possunt. Insuper hæc sententia seû effatum S. Bernardo perperam adscriptum in notitiam hominum literatorum non venit, ex lectione accuratâ operum S. Bernardi, de quâ ne γρῦ quidem in ejus scriptis occurrit, sed ex eo quod prodiderit

hanc S. Thomas, qui fere ducentis annis post S. Bernardum floruit in suis Quodlibetis articulo 9. cujus fidei & verbo credidit, Dionysius Carthusianus, cùm infinitis aliis Theologis, qui eam adversus defensores multitudinis insociabilium Beneficiorum & residentiam exigentium proferre solent. Sed jam ad Epistolam Sancti Bernardi Comiti Campaniæ Theobaldo respondere juvat à nemine homine in suspicione falsi positam.

II. Ex hac Epistolâ 271. intelligimus Comitem Campaniæ multis rogationibus petiisse à Sancto Bernardo, ut suo filio Wilelmo, ferè adhuc in cunis vagienti Beneficia seû Dignitates Ecclesiæ comparare studeret ea gratia qua apud Collatores maximè pollebat. Sed Sanctus Bernardus ejusmodi rogationibus abnuit fortiter, quia Beneficia quæ Comes Campaniæ avebat erant onera humeris infantis prorsus imparia: Quippè Episcopatus & Dignitates Eccle-

ſiarum Cathedralium, aut aliarum inſignium ab oneribus reſidentiæ, & aliarum functionum neutiquàm immunes, quas ſine diſpenſatione coagmentare in uno eodemque homine adultæ ætatis non licere reſpondet, adeóque multominùs in puero ineuntis ætatis ad tam ardua & difficilia munia minimè nato aut facto, cui ſingulatìm nullum Beneficium competere videbatur. *Nam*, inquit, S. Bernardus, *nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Eccleſiis habere licet, niſi diſpenſatoriè quidem ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem vel perſonarum utilitatem.* Hanc igitur multitudinem Beneficiorum in puero adhuc imbecillo, & ad nulla Republicæ officia apto vel idoneo grande peccatum & horribile reputabat. At in ejuſmodi caſibus aut conditionibus multitudinem Beneficiorum etiam ſociabilium, hoc eſt functionum oneribus aut reſidentiæ carentium, non defendimus. Immò nè ſingulatìm quidem poſſideri aut

comparari posse nobis persuademus. Sed eam intelligimus; *quam*, ut ait Sanctus Bernardus, *ob magnam Ecclesiæ necessitatem aut personarum utilitatem dispensatoriè habere licet.* Scilicet in gratiam hominis non solùm digni, sed dignioris virtutibus & meritis commendati, Beneficiorum uberiori annonâ indigentis, habitâ ratione & circumspectâ necessitate, ad honestam vitam sustentandam. Hominibus enim illiteratis, membris Reipublicæ otiosis, futilibus, mulierosis, & aleatoribus nec singulatìm dari posse Beneficia, nec multipliciter debere credimus, immò verò genus ejusmodi hominum sæpe qui curios simulant & bacchanalia vivunt, ab omnibus non solùm Beneficiis, verum etiam & muneribus, & officiis Reipublicæ Christianæ arcendum scuticis ac fustibus nervosè detrudendum sub inania tartara defendimus.

CAPUT XII.

Explicantur Canones XIII. *&* XIV. *Concilii Lateranensis tertii.*

HOc Concilium ab Alexandro III. Summo Pontifice convocatum, anno Christi MCLXXIX. sub Imperio Frederici I. ad extirpandas hæreses Valdensium & Albigensium & remedium adferendum sævientibus Schismatum malis, quæ in electione Summorum Pontificum accidere solebant, multa Statuta ad disciplinam Ecclesiasticam spectantia & mores fidelium efformandos sancivit. Sed cùm præsertìm eo tempore uni & eidem homini in religionem non venerit plures unà possidere Dignitates, pluresque Curas Parochiales, quarum officiis satisfacere propter residentiæ repugnantiam non potis erat, quamvis ære & annonâ ex prædiis erumpente frui largiter nihil vetaret,

tam perverſus uſus habitus eſt ambitionis & avaritiæ Eccleſiaſticorum hominum fœtus, adeóque Eccleſia in hoc Concilio congregata morbo occurrenti his verbis remedium adferre ſtatuit. *Quia nonnulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diverſas Eccleſiaſticas & plures Eccleſias Parochiales contra ſacrorum Canonum inſtituta nituntur acquirere, ita ut cum unum officium vix implere ſufficiant ſtipendia ſibi vindicent plurimorum, ne id de cætero fiat diſtrictiùs inhibemus. Cùm igitur Eccleſia vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco & curam ejus per ſeipſum valeat exercere, quod ſi aliter fuerit factum, & qui receperit quod contra ſanctos Canones accepit amittat, & qui dederit largiendi poteſtate privetur.* Continenter Canon XIV. ita ſe habet, *Quia in tantùm jam quorumdam proceſſit ambitio, ut non duas vel tres, vel ſex, aut plures Eccleſias perhibeantur habere, nec duabus debitam poſſint proviſionem*

sionem impendere; per fratres & Coepiscopos nostros carissimos emendari praecepimus, & de multitudine Praebendarum Canonibus inimica quae dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum, eorum qui Ecclesiis digne valeant deservire volumus Ecclesiasticis Beneficiis indigentiam sublevari. Porrò hæc sunt multa cogitatione reputanda, ex quibus intelligere facile erit, multitudinem Beneficiorum quam fieri posse absque culpâ sed bonâ fide defendimus nullo jure esse prohibitam.

I. Concilium spectat Dignitates Ecclesiasticas & Ecclesias Parochiales ruris & urbis, quibus annexæ permanserunt functiones & debitum residentiæ officium, scilicet Decanatus, Præposituras. Canonicatus quidem plures unà in eodem homine consistere non possunt, quippè cùm fieri non possit, ut qui curam habet Canonicorum perpetuam & Capituli applicet voluntatem & mentem ad

M.

curationem Ecclesiæ Parochialis. Sed hæc nihil attinent Prioratus & Abbatias aliaque Beneficia functionibus & residentiæ officio jure Ecclesiastico carentia; quæ per fiduciam seû in commendam possidentur, nullaque Jurisdictione aut administratione Monachorum exornantur, quorum possessio tot viris sanctis, justis, Episcopis, & aliis infinitis Doctoribus sapientissimis & Seminariorum Episcopalium Præfectis aut Sociis in Religionem non veniunt, qui omni postpositâ difficultate, ejusmodi Beneficia sub conditione commendæ & immunitatis à residentiâ comparare & possidere nec timent, nec perhorrescunt.

II. Quis non intelligat Concilium spectare solùm Beneficia ad residentiam obligantia, & annexas functiones retinentia, ex his verbis? *Ita ut unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum nè id de cæterò fiat districtiùs inhibemus.* Et

his quæ continuo Sermone habentur. *Talis ad hoc persona quæratur quæ residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere.* Ex his igitur concludere necesse est, multitudinem Beneficiorum hoc Concilio Lateranensi prohibitam, esse solitariam coagmentationem plurium insociabilium, propter munus debitum residentiæ & aliarum functionum repugnantiam, scilicet, Canonicatuum & Curarum Parochialium, neutiquàm verò aggregationem Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis aut Regalis cum Abbatia, aut Prioratu simplici per fiduciam seû in commendam adepto.

III. Res planissimè constat ex conceptis verbis Canonis XIV. quæ reverà multitudinem seû aggregationem plurium Curarum Parochialium vetant, & horribilem ac perversum usum eo tempore ab hominibus apud quos flagrabant vitia libidinis & avaritiæ turpissimè introductum. Eo enim devolutæ & desperatæ erant

res Ecclesiasticæ, ut idem Pastor seû Sacerdos quinque, aut sex Ecclesiis Parochialibus oneraretur. *Quia*, inquit Concilium, *tantùm quorumdam processit ambitio, ut non duas vel tres, sed sex aut plures Ecclesias perhiberentur habere, nec duabus debitam possint provisionem impendere.*

CAPUT XIII.

Explicatur Concilium Lateranense IV. *sub Innocentio III. celebratum, anno Christi* MCCXV.

CAPITE quod antecessit explicatum Canonem renovavit Concilium Lateranense quartum, in eoque sancitam disciplinam quo ad ejus fieri potuit redintegravit: facta quadam accessione Canone XXIX. quo tria constituta sunt, ex quibus manifestè patet, multitudinem Beneficiorum non fuisse prohibitam, quæ insociabilia non sunt, nec sibi invicem

debitis muneribus functionum aut residentiæ repugnant.

I. Concilium Lateranense quartum adjunxit tertio, hominem accipientem Beneficium cum curâ animarum, jam unius ejusdem generis adeptâ possessione spoliatum iri jure merito hoc primo Beneficio, quod si contestatâ lite alterum defendere velit, fore sanxit ut & ipso careat & spolietur. *Quia verè propter præsumptiones & cupiditates quorumdam nullus hactenus fructus aut rarus de prædicto Statuto,* scilicet Lateranensi 3. sub Alexandro III. *provenit, nos evidentiùs & expressiùs occurere cupientes, præsenti Decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod Beneficium habens curam animarum annexam, si prius tale Beneficium obtinebat, eo sit jure ipso privatus, etsi fortè illud retinere contenderit, alio etiam spolietur.* Quis dubitat hoc Statutum spectare solum Beneficia curam animarum habentia, scilicet Parochiales Ecclesias & Episcopatus quos inso-

ciabiles esse omnes fatentur.

II. Idem Statutum sanxit de Personatibus propter varias & discrepantes functiones iis annexas. *Hoc idem in personatibus decernimus observandum:* & de Dignitatibus in eadem Ecclesiâ, *addentes ut in eadem Ecclesia nullas & plures Dignitates aut Personatus habere præsumat, etiamsi non habeant curam animarum*; de quibus quidam nemini homini dubitandi aut disputandi locus relinquitur.

III. Denique quantumvis insociabiles inter se viderentur Dignitates, Personatus & Curæ Parochiales sive curam animarum habentes, Concilium ut testificetur se non existimare Juri divino aut naturali contrarium habere plura Beneficia decernit posse ab Apostolicâ Sede concedi immunitatem circa illam multitudinem Beneficiorum viris nobilibus & literatis hominibus. *Circa sublimes tamen & literatas personas, quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit per*

Sedem Apostolicam poterunt dispensari. Eadem de causa repugnantiæ erumpentis ex variis functionibus & debito munere residentiæ, plures Abbatias & diversos in Monasteriis locos obtinere in Monasteriis vetat idem Concilium Canone XIII. *Nè quis in diversis Monasteriis locum habere præsumat, nec unus Abbas pluribus Monasteriis præsidere*, quia non potis esse videbatur uni & eidem homini tot negotiorum curationem aut procurationem incumbere.

IV. Concilium Parisiense celebratum anno MCCXII. iisdem rationibus instigatum parte 1. & 2. capite 19. duobus annis ante Concilium Lateranense IV. prohibuerat, *nè Clerici duas Parochias habeant nec Monachi duos gerant Prioratus vel obedientias.* Ea enim ætate nondum adempta fuerat Monachorum præfectura & regimen Abbatibus aut Prioribus in commendam Beneficia obtinentibus.

V. Antequam in se res haberent, anno MLXX. Legatus Summi Pontificis in Concilio Vintoniensi Anglicano Stigandum Episcopum abdicavit & sua Sede detrusit, quia plures Episcopatus unà possidebat. Infinita exempla possent proferri, ex quibus intelligeremus Innocentium III. Beneficiorum multitudinem prohibuisse propter functionum & residentiæ repugnantiam. Verumtamen fateri opus est magnum semper discrimen Ecclesiam recognovisse inter redundantiam seû superfluitatem Beneficiorum, quæ spectat præsertim insociabilia & repugnantia & eorumdem coagmentationem in eodem homine seû pluralitatem, quam sæpe circumspectis conditionibus licitam & tolerabilem fuisse non dubitandum est. Quod constat ex Epistolâ 157. Innocentii III. lib. 14. regesti his verbis expressa. *Licet circa eandem personam Beneficiorum sit semper superfluitas improbanda, non numquam tamen est toleranda*

leranda pluralitas statu personæ provia æ consideratione pensato. Quis enim his applicatâ mente reputatis sibi persuadeat pluralitatem Beneficiorum his conditionibus admissam esse Juri Divino & naturali contrariam.

CAPUT XIV.

Explicatur Sententia Guillelmi Alverni Episcopi Parisiensis. Censura Facultatis Parisiensis discussa de multitudine seû pluralitate Beneficiorum. Historia Philippi de Greva, Cancellarii Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis, æternis flammis addicti, & in inferos detrusi, propter multitudinem Beneficiorum, ad examen revocata.

GUILLELMUS Alvernus Episcopus Parisiensis in vivis erat paucis annis post Concilium Lateranense quartum sub Innocentio III. celebratum : Quippè cùm Cathedram Ecclesiæ Parisiensis, anno Christi

MCCXXVIII. occupaverit. Verùm cùm inter Episcopos & Theologos Parisienses, perillustris & plurimâ commendatione dignissimus extiterit, ejus Sententiam scrutari non solùm opus, verùm etiam necesse est, & ei quàm tuendam recepimus vel propitiam, vel repugnantem intelligere. Ad tria capita devolvitur hæc disquisitio. 1°. An in eâ mente fuerit, ut contumeliâ peccati fœdatum existimaverit hominem Beneficiorum multitudine exornatum. 2°. An Facultas Theologiæ Parisiensis, eidem Sententiæ subscripserit. 3°. An eâ de causâ diris devotus Cancellarius Academiæ Parisiensis & Ecclesiæ, Philippus de Greva, æternis flammis fuerit mancipatus & damnatus.

I. Quòd spectat Sententiam Guillelmi Parisiensis, de coagmentatione Beneficiorum in eodem homine, certum est non fuisse ei ignotas varias discrepantesque Doctorum de hac materiâ Sententias & dubitandi ra-

tiones, adeóque temerarium & insolens ei visum fuisse ejusmodi quæstiones definire & decretorio judiciò dirimere. Hæc enim abundanter intelligimus ex conceptis tanti Doctoris & Pontificis Parisiensis verbis initio capitis sexti Tractatûs de Collationibus Beneficiorum, pag. 258. editionis Aurelianensis, studio & curâ factæ amicissimi & doctissimi Socii nostri Sorbonici, Blasii Ferronii Canonici Carnotensis. *Post hæc autem aggrediemur disputare ex hoc, an licet uni personæ multa habere Beneficia quorum unum sufficiat ad competentem ipsius sustentationem. In primis ergo forsitan, si videatur alicui dubitandum, quia à multis & magnis sentitur quod sic; à multis autem quod non & propter hoc temerarium videri potest de hoc præsumere definire.* Enimverò si non tam in sapientiæ consiliis quàm in quadam temeritate opinionis positum est definire hanc quæstionem & consilium Guillelmi sit tantummodo de hac causa disputare, *post hæc ag-*

grediemur disputare. Incredibile est voluisse definitè suam Sententiam constituere. Hoc enim negotium ancipiti lance continuò tractat & dubius nisu in medio stans dubium relinquit. *In qua diximus*, ait, *quod si dubium est utrum liceat vel non liceat, ipsa dubietas certitudo est & determinatio, quia proculdubiò non licet.* Reverà enim nemini fas est in re gravi verè dubiam vel ancipitem opinionem amplecti, quippè quod recta ratio ipsaque natura vetat. Insuper constat planissimè Guillelmum Parisiensem nihil anquirere præter quæstionem, an liceat uni homini uno Beneficio & singulari jam potito, quod victibus annuis & honestis sufficiat, plura agglomerar. De Beneficiis *autem*, inquit, *insufficientibus manifestum est quod non requirunt singula servitia & propter hoc alia vel adduntur vel uniuntur.* At verò si ratio certa & perspicua sit, cur Beneficia alia aliis addantur & consocientur quod non requirant singula servitia;

quis dubitabit Beneficia simplicia & commendata cum singula servitia usu & consuetudine receptâ in Ecclesia, & à viris probis & sapientibus approbata non requirant, posse coagmentari, & agglomerari in uno eodemque homine? Cùm præsertim ea Beneficia quæ Abbatiæ in commendam & Prioratus simplices nuncupantur, tot viris doctis, piis & sapientibus possidere & adipisci in religionem non veniat; immò verò in ea persuasione permaneant, plus prodesse Reipublicæ, & plus de Ecclesiâ mereri, si bona fructuosa ex eis erumpentia in usus pauperum transferant & religionis subsidium, ventribus otiosis, inertibus hominibus & cucullatis, quales fere omnes erant, antequam reformatarum Congregationum usus & mores invaluissent & veternum Claustri fugillassent. Ex his igitur omnibus circumspectis assumendum est non omnem Beneficiorum multitudinem à Guillelmo Parisiensi impro-

bari præter insociabilium redundantiam & superfluitatem, scilicet eorum, quibus functiones annexæ permanserunt cum debito munere residentiæ, à quo nullus eximi potest: quales sunt Episcopatus, Curæ Parochiales, Canonicatus, Decanatus, Præposituræ, & aliæ Ecclesiarum Cathedralium pleræque Dignitates.

II. Caput spectat casum singularem, quem sub Pontificatu Guillelmi Parisiensis contigisse non dubitant: scilicet Facultatem Theologicam Parisiensem peractis & amplificatis disputationibus decrevisse, nefas esse possidere plura Beneficia absque peccati mortalis contumeliâ, cùm ex his unum, quod sufficiens erat victibus annuis honesti viri, suppeditabat. Ita se rem habuisse refert Thomas Cantipratensis Ordinis Sancti Dominici, Episcopus suffraganeus Episcopatûs Cameracensis, qui obiit anno MCCLXIII. libro 1. Apum, capite 19. numero 5. *Volo ut quicumque hoc legerit*

sciat me, anno ab Incarnatione Domini MCCXXXVIII. *fuisse Parisiis ubi & venerabilis Guillelmus Parisiensis Episcopus, qui in Theologiâ jam rexerat, convocationem fecit Magistrorum in Capitulo Fratrum Prædicatorum, propositâ quæstione de pluralitate Beneficiorum, solerti & valde longa disputatione probatum est duo Beneficia, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses, teneri cum salute animæ non posse. Hæc determinavit prædictus Episcopus: Hoc Frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postmodum Romanæ curiæ Cardinalis. Hoc Frater Guerricus, & Frater Goffridus ejusdem Ordinis: Frater Joannes de Rupella, Ordinis Fratrum Minorum, & alii quam plures Magistri Theologiæ determinaverunt in Scholis propriis successivè. Fuerat autem habita disputatio longa valde & multò solemnior* ante tres annos, *in qua etiam omnes Magistri Theologiæ exceptis duobus determinasse probantur idem per omnia quod & supra, quorum unus fuit Magister Philippus Cancellarius Parisiensis, & alter Magister*

Arnoldus, postmodum Ambianensis Episcopus.

Hujusce casûs nulla incurrit mentio in antiquis registris Facultatis Parisiensis, ab eoque tempore Doctores Parisienses doctrinam & ascesim contrariam professi sunt, imitatione consecuti plerosque Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ, & universi orbis Christiani. Sed incogitabile videtur hominem ejusmodi rem seû casum prodidisse quam propriis oculis vidisse testificatur, & ausum falsum dicere cum nihil verum dicendo pertimescendum videretur, quem de cætero à nemine confutatum aut in falsarii ac mendacis suspicione positum fuisse constat. Igitur nullus dubitandi locus relinqui videtur, quin prædicta definitio facta sit Parisiis adversus multitudinem seû pluralitatem Beneficiorum quoties contigit, ut unum quindecim librarum annui censûs habeatur duæque Congregationes Doctorum habitæ Parisiis id definitè statue-

rint. Verùm admirationem quâ maximè commoveor temperare non possum, cùm certò sciam Guillelmum Parisiensem mortuum, anno MCCXLVIII. die Martis majoris hebdomadæ scilicet, anno decimo post secundam Congregationem Doctorum & tertio decimo post primam: tot librorum Autorem & Sermonum, ne verbum quidem de hac definitione scripsisse aut prodidisse; nullum denique Scriptorem Guillelmo supparem aut æqualem hujus Censuræ mentionem fecisse, dempto Thoma Cantipratensi; reliquos verò multò recentiores, quales sunt Genebrardus & Scriptores Galliæ Christianæ ei fidem non abrogasse. Sed quid tum? cùm ex his omnibus nihil assumi possit nisi Guillelmum Parisiensem & Facultatem Theologiæ Academiæ Parisiensis condemnasse multitudinem seû redundantiam Beneficiorum, functionum & residentiæ obligatione repugnantium & insociabilium..

III. Inquirendum restat de altero casu magis horribili, quem contigisse refert idem Thomas Cantipratensis, & in Sermone ad populum Parisiensem enarrasse putant Guillelmum Episcopum de obitu Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis abnuentis ejusmodi Parisiensium Theologorum definitioni adversus multitudinem Beneficiorum, anno MCCXXXV. Arctè tenent & acerrimè defendunt multitudini Beneficiorum infensi Scriptores Cancellarium Universitatis & Ecclesiæ Parisiensis, cui nomen erat Philippo de Greva, virum in suarum opinionum defensione morosum & contumacem, postpositis consiliis & hortationibus Guillelmi Parisiensis, noluisse sententiâ quàm propugnaverat discedere in paroxismo mortis, & natantibus in morte oculis, quam contigisse necesse est in spatio decennii intercalaris, anni MCCXXXVIII. & anni MCCXLVIII. quo Guillelmum Parisiensem obiisse non dubium est.

Referunt Guillelmi animum externâ & adventitiâ visione pulsatum hujus Cancellarii defuncti, qui renunciavit ei se damnatum esse & æternis flammis cruciandum in justam peccati vindictam quo inquinatus mortem oppetierat, contumaciter adhærens opinioni quam acriter propugnaverat contra Theologos Parisienses in gratiam multitudinis Beneficiorum. Ut cumque res sit, si ita se habeat & de relato casu dubitandi locus non relinquatur; si ad populum Parisiensem in publicâ concione prodidit Guillelmus Alvernus, qui proculdubiò nihil veri dicere pertimescebat, nihil falsi dicere audebat, disputare de hac causa supervacaneum est, judicioDei tremendo finita, nec superesse potest dubium aut suspicio minima quin æterno supplicio & igne asbesto fletibus & stridore dentium horribili plectendi sint quicumque multitudine Beneficiorum, & coagmentatione inquinantur. SedThomam Cantipra-

tensem, qui solitarius Scriptor insolentem casum refert audire necesse est, & videre an de Scriptorum numero sit, qui nihil veri dicere timeant nihil falsi dicere audeant. Sic fatur libro 1. Apum, capite 19. numer. 6. pag. 71. editionis Duacensis, anni MDCXXVII. *Quid autem de isto Philippo contigerit audiamus; agonisantem in morte dictus Guillelmus Parisiensis Episcopus paternâ sollicitudine visitavit, rogavitque eum, ut singulari opinioni cederet de pluralitate Beneficiorum, & omnia Beneficia sua excepto uno in manus Ecclesiæ resignaret; & hoc conditione mediâ, ut si convalesceret ei supplere vellet de suo proprio quod dimisisset. Renuit ille, experiri se velle dicens utrum esset damnabile Beneficia plura tenere. Mortuus est verò sic. Post paucos autem dies cum dictus Parisiensis Episcopus finitis Matutinis orare vellet, vidit inter se & lumen quasi umbram hominis tetram nimis. Elevatâ ergo manu consignat se, & si ex parte Dei sit præcipit ut loquatur. Cui respondit apparens: alienus*

à Deo sum, sed tamen miserabilis factura ejus.: & præsul tu quis es? Inquit, cui ille respondit: Ego sum Cancellarius, inquit, ille dudùm miserrimus; rursus Episcopus elato altiùs gemitu, & quomodo, inquit, tibi est sic dolenti? malè ait immò quàm pessimè quia damnatus sum æternâ morte. Et Episcopus, heù, ait, carissime, quæ causa tuæ damnationis? Tres sunt, inquit, causæ quare morte perpeti sum damnatus: una est quod recrescentes fructus annuos contra pauperes tumidè reservavi. Secunda est quod contra sententiam plurimorum de pluralitate Beneficiorum, quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est illa gravissima omnium quod abominabili carnis vitio in scandalum multorum multo tempore laboravi. Ego verò defendo hanc Historiam esse meram fabellam deditâ operâ fictam, nullo veritatis fundamento suffultam. Quod ex argumentis consectaneis intelligere subinde facile est. 1°. Hanc Historiam damnati

Cancellarii neutiquàm narravit Parisiis in concione publicâ Guillelmus Episcopus, quippè cùm ipse Thomas Cantipratensis, non dicat hac visione pulsatum fuisse Episcopum, sed solùm eam recitasse coram Clericis suis, quasi alteri contigerit. *Ipse autem Episcopus (non tamen sub suâ personâ quasi hoc vidisset) in prædicatione suâ Clericis omnibus recitavit*, ait Thomas Cantipratensis in fine numeri 6. lib. 1. 2°. Thomas ipse, ad Episcopatum assumptus ax Ordine Dominicanorum, observat Cancellarium Philippum fuisse hujus Ordinis hostem infensissimum, adversus Fratres in publicis concionibus declamasse, & expletum contumelia & opprobrio interiisse, occasione sermonis seû concionis in qua multis lædoriis eum confutaverat stomachosius & fervore amoris erga suum ordinem acerrimus, Henricus de Colonia. *Hic*, Philippus, *scilicet de quo superiùs suo loco retuli, contra Fratres Ordinis Prædicatorum, in omni fere publi-*

ca Statione & Sermone Parisiis latrabat. Valde credibile immò & probabile est ex hac agendi ratione fortè & salibus satyricis quibus defricabat Philippus Ordinem Prædicatorum Thomam captasse contumeliam & extorsisse vindictam, adeóque ex hujusce temporis consuetudine hanc populo ut placeret finxisse & fecisse fabulam. 3°. Quî fieri potest, ut fuerit æternis pœnis addictus, & æternâ damnatione ad inferos detrusus, crimine multitudinis & redundantiæ Beneficiorum inquinatus, & alter Doctor nomine Arnoldus, de quo loquitur idem Thomas Cantipratensis, hoc exemplo non fuerit pulsatus, & ad meliorem frugem conversus pristinam sententiam multitudini Beneficiorum propitiam non repudiaverit, immò verò ad amplitudinem Episcopatus Ambianensis pervenerit, Comes individuus S. Ludovici Francorum Regis in obsidione Pelusii, & authoritatis Ecclesiasticæ defensor for-

tissimus adversus sæcularis potestatis iniquos possessores. *In qua disputatione,* inquit Thomas Cantipratensis, *omnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus determinasse probantur idem per omnia quod supra, quorum unus fuit Magister Philippus Cancellarius Parisiensis, & alter Magister Arnoldus postmodum Ambianensis Episcopus.*

IV. Insuper dilucidis verbis asserit Thomas Cantipratensis, hos solùm binos Doctores multitudinem Beneficiorum tuendam recepisse, *exceptis duobus quorum fuit unus Magister Philippus, & alter Magister Arnoldus.* Veruntamen numero sequenti ejusdem capitis 19. lib. 1. tertium commemorat, cujus nomen prætermisit, etiam diabolo devotum & damnatum, qui Congregationi Facultatis Parisiensis, & Comitiis interfuerat; in quibus definitio contra multitudinem Beneficiorum decreta fuerat. *Defunctus apparens dixit, hæc duplicitas Præbendarum sola causa est pro quâ infælix ego in perpetuum*

tuum damnatus sum. Sed quis ejusmodi casus, nullius hominis sani aut cerebrum habentis testificatione suffultus inter fabulas non recenseat & mendacem oportere esse memorem Thomæ Cantipratensi non dicat? Cùm præsertim hoc exemplum ultimum, negotium quod tractamus de multitudine Beneficiorum omni residentia & functionibus immunium non spectet, sed Præbendarum & Canonicatuum, quos insociabiles esse recognoscimus & defendimus. Constat igitur tempore Guillelmi Parisiensis incredibiliter affirmari, profligatam fuisse sententiam defensorum multitudinis Beneficiorum, atque inter crimina flammis æternis digna fuisse relegatam, eorum præsertim quæ insociabilia non sunt & repugnantiam functionum & residentiæ non sustinent. Liquidò enim defendere non pertimesco ejusmodi multitudinem seû pluralitatem sociabilium & non repugnantium, modo

non ſit libidinis & avaritiæ fœtus, ut facile contingere poteſt in viris doctis, piis, & nobilibus, eſſe Eccleſiæ & Reipublicæ conducibilem & neceſſariam. Quam neceſſe eſt habere reditus & proventus, & proprios obire fundos quibus honorificè ſuppeditet viris literatis & claro genere natis, Scriptoribus Eccleſiaſticis, verbi divini concionatoribus egregiis, veritatis adverſus hæreticos defenſoribus fortiſſimis; quod ſufficiens eſt victibus annuis & honeſtis, non otioſis monachis, veterno conſopitis aut acediæ ſtrumoſo tumore deformatis.

CAPUT XV.

De Libris Dionysii Richel Chartusiani, super multitudine Beneficiorum. Sanctus Thomas, Guillelmus Peraldus & Bellarminus in patrocinium sententiæ, quam defendimus, vindicantur.

I. Floruit annum circa MCCCCL. in umbilico quinti decimi sæculi Dionysius Leüris, ex vico Richel, quod Alfaniæ municipium est in diœcesi Leodicensi oriundus, Doctor Artium renunciatus ætatis vigesimo primo in Universitate Coloniensi ingressus Ordinem Chartusianorum, adolescens in Monasterio Ruremondensi, in quo mortuus est ætatis 69. vel 77. duodecima Maii, MCCCCLXXI. Summis laudibus hunc extollit Abbas Trithemius, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, quem sequuntur Aubertus Mireus, & Cardinalis Bellarminus. Doctor extaticus vulgò nun-

cupatur, propter mentis excessus quibus è sensibus raptus est, & visas rerum sibi à numine, ut putant, oblatas imagines, aut frequentes in quas incidit lipothomias. Veruntamen hæc cohibere non potuerunt censores quominus indici librorum prohibitorum cooptarent Opusculum Dionysii, de quatuor finibus hominis, in quo mentione factâ Purgatorii incertas suæ salutis animas & ancipites asserit permanere. Ejus opera infinitis explentur placitis & dictis ex quibus nec stulti, nec creduli homines ejus simplicitatem & credulitatem facile perspectam habent. Duobus libris rem Beneficiariam tractavit, quorum unus Dialogum Advocati & Canonici præ se fert, alter verò undeviginti capitibus constat. Porrò his duobus libris probat acerrimè Beneficia quæ vocamus insociabilia ratione functionum repugnantium & residentiæ obligantium non posse simul ab eodem homine possideri quum unum

abundanter suppeditat ex fructibus & proventibus annonæ quod sustentationi honesti viri sufficiat. Hoc spectat Episcopatus, Curas Parochiales & Canonicatus, quorum in eodem homine aggregationem meram esse redundantiam existimamus & tuendam nullatenus recipimus, immò culpam & peccatum esse nobis persuademus contingentibus quibusdam casibus. Dico, *quibusdam*, nam Dionysius Chartusianus ipsemet probat, non numquam istiusmodi Beneficiorum redundantiam non esse vetitam, scilicet multitudinem Canonicatuum & Ecclesiarum Parochialium esse licitam. Id præstat capite XII. sub titulo, *de quinque casibus in quibus licet habere plura Beneficia*; in quo propugnat sententiam Doctorum, qui ante ipsum scripserunt. Hæc sunt verba. *Itaque Raimundus cæterique Doctores assignant quinque casus in quibus una persona potest de jure communi habere duas vel plures Ecclesias seu Præbendas*, seu

Curas Parochiales, quæ hac voce, *Ecclesias*, significantur. *Primus casus est*, inquit, *quando Ecclesiæ sunt in reditibus*, ita tenues, quod una non sufficit ad competentem sustentationem personæ, ita quod totidem potest habere ut sufficiat ei ad victum. Secundus est, inquit idem Rikhel, *quando una Ecclesia dependet ex altera*, ad hunc modum Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis posset habere Curam Sancti Mederici, & Sancti Benedicti suæ Præbendæ associatam. Tertius, *est propter raritatem paucitatemque Clericorum*. Eoque modo poterit idem fermè in omnibus Galliæ Provinciis, demptâ Neustriâ cujus solum Clericorum ferax, & Diœcesi Parisiensi, plures habere Curas Parochiales, ut contingit in Diœcesi Rhemensi, Tullensi, Lingonensi, Trecensi, Cathalaunensi, & pluribus aliis. Quartus, si Ecclesia sit annexa Præbendæ vel Dignitati, adeoque Decanus Senonensis potest esse

Paſtor Eccleſiarum S. Florentini & Campiloci ſuæ Dignitati annexarum.. Quintus, *ſi habeat unam intitulatam & aliam ex juſta cauſa commendatam.* Quippè in eo caſu multitudine Beneficiorum nemini interdictum eſſe defendo, Beneficiorum, inquam, ſimplicium omni functione & obligatione reſidentiæ carentium: Quales ſunt Abbatiæ & Prioratus ſimplices quos poſſidere tot Epiſcopis, Canonicis & Curatis, viris ſanctis & doctis in Religionem non venit. Noſtra igitur ſententia paulo ſeverior eſt opinione Dionyſii Chartuſiani, qui juxta Raymundum, & alios Doctores poſſe plura poſſideri Beneficia, etiam curam animarum habentia aut ad reſidentiam obligantia defendit. Reverâ fateri opus eſt hanc coagmentationem Beneficiorum ei non placere perpetuam, ſed ſolùm ad ſpatium ſeû longinquitatem ſex menſium, juxta definitionem Concilii Lugdunenſis ſub Gregorio X. in quo ſtatutum fuit, *ta-*

lem commendationem ultra ſpatium ſex menſium non durare. Præter hos quinque caſus nullum contingere poſſe ſibi perſuadet Dionyſius Chartuſianus in quo juſta poſſit reperiri cauſa dandæ immunitatis ad ferendam multitudinem Beneficiorum: immò confutare videtur quod in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. definitum fuerat. *Circa ſublimes & literatas perſonas, quæ majoribus Beneficiis ſunt honorandæ cum ratio poſtulaverit, poterit diſpenſari.* Totque rationibus, rationem hoc Concilio intellectam perſtringit ut apertè demonſtret nullum immunitati locum relinqui, in gratiam nobilium virorum & hominum literatorum in multitudine Beneficiorum inſociabilium ſive Epiſcopatuum, Canonicatuum & Curarum Parochialium. Sed utcumque ſint non ſpectant multitudinem Beneficiorum ſociabilium quam defendimus, ſcilicet Prioratus ſimplicis cum Canonicatu aut Abbatiæ cum Epiſcopatu,

Episcopatu, aut Curâ Parochiali.

II. Dionysius Chartusianus ad probandam suam sententiam testimonium prodidit superiùs allatum Thomæ Cantipratensis, de Cancellario Universitatis damnato & altero anonymo æternis suppliciis addicto, & definitionem Facultatis Parisiensis, de quibus plura dicere supervacaneum videretur. Quæ si exempla vera & non apocrypha essent solam multitudinem insociabilium Beneficiorum seû Præbendarum aut Curarum infringerent quam neutiquàm defendimus.

III. Nec aliud colligi potest ex iis quæ profert ex Summa virtutum & vitiorum Guillelmi Peraldi Archiepiscopi Lugdunensis, qui inclinato sæculo quo celebratum fuit Concilium Lateranense IV. floruit, anno scilicet MCCLXXV. Ex quibus luce meridianâ clarius patet, eo tempore solitariam coagmentationem & multitudinem Præbendarum,

Dignitatum Ecclesiasticarum, & curam animarum habentium vetitam fuisse & interdictam. Quippè cùm ex scriptis hujusce Pontificis Lugdunensis perspectum habeamus ipsum defendisse multitudinem, quam impugnabat, inducere in Ecclesiam hæresim Sabellianam quæ patrem & filium eandem esse personam propalabat. Quod probat Peraldus exemplo hominis duos Decanatus aut Canonicatus habentis in diversis Ecclesiis. *Peccatum istud etiam introducit quodammodo in Ecclesia Dei hæresim Sabellii, qui dicebat patrem esse filium contra quod dicit Augustinus quod hoc non invenitur, nec in natura, nec supra naturam quod persona sit pater & filius intellige respectu ejusdem. Sed hic vult facere peccatum istud, accidit enim quod duo sunt Decani in duabus Ecclesiis, & uterque Canonicus in utraque & sic uterque est pater & filius respectu utriusque.* Constat igitur tunc temporis solâ multitudine Beneficiorum insociabilium interdictum fuisse.

Hoc conceptis verbis significat Peraldus, tomo II. pag. 128. & Dionysius Chartusianus, capite x. Tractatus contra pluralitatem Beneficiorum.

IV. Idem Dionysius Chartusianus ad tuendam suam sententiam, profert Angelum Scholæ Sanctum Thomam testem veritatis, ut putat omni exceptione majorem quem constat solitariam Præbendarum multitudinem impugnasse ex quæstionibus Quodlibetariis in quibus probat ejusmodi Beneficia posse in quibusdam casibus aggregatim possideri, absque peccati mortalis contumeliâ: spectat hanc multitudinem instar actionum humanarum quæ nec absolutè malæ neque de se omnino indifferentes sunt, sed quibusdam salebris deformatæ, quoniam Præbenda uni homini convenit ex instituto & totum occupationibus distinet, sed in quibusdam casibus & conditionibus possunt effieri bonæ & honestæ. *Sunt verò*, inquit S. Thomas, *quædam actiones quæ*

absolutè consideratæ deformitatem seû inordinationem important, quæ tamen aliquibus circunstantiis supervenientibus fiunt bona, sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem quamdam importat: sed si addatur occidere malefactorem propter justitiam vel percutere delinquentem causa disciplinæ non est peccatum sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures Prabendas; quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen tales circunstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, ut putà si sit necessitas unius personæ in pluribus Ecclesiis & posset plus servire Ecclesiæ & Capitulo absens quàm alius præsens & si quæ aliæ sunt hujusmodi: & tunc istis conditionibus supervenientibus cum rectâ intentione non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed tantum ad positivum.
Idem sanctus Doctor continenti Sermone condemnat cupidè omnes qui

congerunt & coacervant ex libidine aut avaritiâ Episcopatus, Canonicatus & plures Curas Parochiales, & quæcumque Beneficia quibus functiones obeundæ permanent annexæ cum obligatione ad residentiam, quàm sententiam defendimus: ex qua concludere possumus Prioratus simplices & Abbatias *in commendam*, in eo statu in quo jam assensu Ecclesiæ consistunt, & à viris doctis & piis omni exceptione majoribus possidentur, quibus hic usus, ut jam sæpe diximus, in religionem aut scrupulum non venit, posse absque suspicione peccati haberi, *& non esse peccatum sed actum virtuosum*, ut inquit S. Thomas; quem ea de causa Dionysius Carthusianus molliùs locutum fuisse recognoscit. *Denique quamvis Thomas videatur de hac quæstione molliùs loqui quàm Doctores suprà allegati & infrà allegandi, tamen si verba ejus ritè pensentur rigorosa sunt valde.* Verumtamen fateri necesse est istorum Doctorum,

nec varias, nec discrepantes esse sententias; omnes enim in quibusdam casibus & certis circumstantiis multitudinem Beneficiorum in eodem homine honestam & virtuti congruentem defendunt. Sed prætermittere non debemus sanctum Thomam, ut probet multitudinem Beneficiorum contumeliâ peccati mortalis expleri, sibi objectasse Urbani II. Papæ, Decretalem quæ incipit *Sanctorum Canonum*, in qua hæc habentur: *omninò aliquem in duabus Ecclesiis intitulari non liceat: sed unusquisque in quâ intitulatus est, in ea tantum Canonicus habeatur*; & continenti Sermone alteram, his verbis, *Clericus ab instanti tempore in duabus non commoretur ecclesiis, negotiationis est hoc turpis lucri commodum & ab Ecclesiæ consuetudine penitùs alienum.* Ex quibus concludit S. Thomas multitudinem Præbendarum esse prohibitam jure positivo. *Nunc autem certum est per aliqua jura hoc esse prohibitum.* Sed reverà res-

pondet ad hæc consuetudinem contrariam inolevisse quam quidam sibi persuadent antiquiora decreta juris humani refixisse & obliterasse. *Patet tamen huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam per quam quidam dicunt illa jura esse abrogata, nam per consuetudinem jura humana abrogantur.* Alii verò defendunt, hæc antiqua jura non esse abrogata aut obliterata consuetudine contrariâ, suamque sententiam vindicant his cujusdam Decretalis verbis *multa per patientiam tolerantur quæ si in judicium fuerint deducta cogente justitia cassarentur.* Utcumque res sint postquam S. Thomas animadvertit definitionem hujus quæstionis de abrogatione juris antiqui per consuetudinem adversam esse Deo relinquendam, defendit absque culpâ & peccato posse ad mentem concordem Canonistarum istorum sibi invicem repugnantium plura Beneficia comparari, seû plures Præbendas, cum hoc solùm discrimine ac

differentiâ, ut si jura antiqua abrogata non censeantur, opus sit immunitate seû dispensatione ad consociationem plurium Præbendarum, quæ si reverà abrogata consuetudine reputentur, tunc immunitas & dispensatio supervacanea sit. Porrò sic fatur Sanctus Thomas *si ergo antiqua jura, quæ habent prohibitionem, in suo robore maneant contraria consuetudine nonobstante, certum est non posse aliquem plures Prabendas habere absque dispensatione, etiam simul circunstantiis supervenientibus quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterunt honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem laudabilem abrogata, tunc prædictis circunstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures Prabendas habere, sine quibus circunstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat, eò quod dispensatio non aufert ligamen, sed bene juris positivi quod præter hominem statuitur atque per hominem dispensari potest.* Ego verò non

puto verbis dilucidioribus posse doceri multitudinem Beneficiorum seû consociationem in utroque systemate, sive abrogati juris antiqui, sive non abrogati perconsuetudinem, esse licitam & contumeliâ culpæ ac peccati mortalis expertem.

V. Ut verò Sanctum Thomam defensione singularitatis Beneficiorum implicent nostræ sententiæ adversarii testificationem inducunt Cardinalis Bellarmini, ex Epistolâ scriptâ ad sororis filium Episcopum Theanensem, inqua Beneficiorum consociationem sugillans prodidit decretum Facultatis Parisiensis suprà relatum & factum tempore Guillelmi Alverni Episcopi Parisiensis, & ait valde probabile esse Sanctum Thomam comitiis hujusce definitionis interfuisse cum Sancto Bonaventurâ. Sed ejusmodi objectum frangere & friare facile est. Enimverò huic definitioni S. Thomam interfuisse prorsùs improbabile est & incredibile anno

MCCXXXVIII. quippè cùm urbem Coloniensem non reliquisse constet ante annum MCCXLVIII. ut invictissime probavit Cæsar Egassius Buleus in historia Universitatis Parisiensis. Insuper si probabile sit Sanctos Thomam & Bonaventuram his comitiis interfuissè, non solùm probabile, sed certum & evidens erit Thomam Cantipratensem verum non dixisse, cùm ait duos tantùm Doctores scilicet Cancellarium Philippum & alterum Arnoldum, deinceps Episcopum Ambianensem, definitioni Facultatis Parisiensis contradixissè & repugnasse; nam ut ostendimus dubitandi locus nullus relinquitur, quin Sanctus Thomas in sententiam, multitudini & consociationi propitiam, etiam Præbendarum in quibusdam casibus & certis circunstantiis iverit.

Caput XVI.

Explicatur ſententia Guillelmi Durandi Epiſcopi Mimatenſis.

Duo Epiſcopi Mimatenſes ſub nomine Guillelmi Durandi extiterunt, tertio decimo ſæculo inclinante patruus ſcilicet & fratris filius. Primus, à libro ſub titulo *Speculi juris*, Speculator eſt numcupatus; ſcripſit etiam Rationale Divinorum officiorum & alterum ſub titulo Repertorii juris. Hic fuerat Decanus Eccleſiæ Carnotenſis; non alia opera ei adſcribit Abbas Trithemius. Romæ obiit anno MCCXCVI, ut patet ex Epitaphio in Galliâ Chriſtianâ. Succeſſor ejus fuit fratris filius, ejuſdem nominis, anno 2. Pontificatûs Bonifacii, ut intelligitur ex diplomate Bullarum recenſito in Galliâ Chriſtianâ. Secundus Durandus, non primus, Concilio Viennenſi interfuit celebrato

anno MCCCXI, adeòque ipsemet Concilio obtulit Librum De modò tenendi Concilii generalis; scripsit & publicavit obtemperans jussis Clementis V, cum Durandus patruus è vivis discesserit anno MCCXCVI. Clemens verò sedem Petri non occupaverit ante annum MCCCV. Hæc enim clarissimè demonstrant scriptorem vitæ Guillelmi Durandi patrui, quæ initio tractatûs De modo tenendi Concilii generalis occurrit, impressi Parisiis apud Clouserium anno MDCLXXI, vehementer delusum fuisse, in quo quippè ait *excellentissimum opus De modo generalis Concilii celebrandi* multos annos latuisse hoc postremum quod composuit cum Clemens V. Vasco generale Concilium Viennæ celebravit anno à partu Virgineo trecentesimo septimo suprà millesimum. Idem scriptor errat iterum cum ait hoc anno celebratum fuisse Concilium Viennense scilicet MCCXCVI. confundit enim annum convocatio-

nis, qui tertius fuit Pontificatus Clementis V. & biennio integro antevertit, cum anno celebrationis Concilii, ut ex Bulla convocationis intelligitur. Convocatio enim incidit in umbilicum anni MCCCVII. quo Durandus patruus autor *Speculis juris* interierat, scilicet annis quindecim ante celebrationem quæ incidit in annum MCCCXI. Quæ cum ita sint soli Durando secundo ex fratre alteriùs nepoti Liber *De modo tenendi Concilii generalis* adscribi potest. At verò ex hoc libro locus in medium adduci solet contra multitudinem Beneficiorum assumptus ex titulo 21. partis 2. pag. 107, Editionis Parisiensis anni MDCLXXI. Hîc in integro exscribendus esset prædictus titulus, ex quo planè intelligitur grande malum & horribile ex Beneficiorum multitudine erumpens in Ecclesiam, cui remedium esse admovendum in Concilio Viennensi non dubitavit. Sed reverâ in eo quæstio tantummodò cie-

batur de consociatione Beneficiorum quibus debita functionum & residentiæ munera annexa remanserunt cum Curâ animarum, quales sunt Canonicatus & Curæ Parochiales. Quippè conceptis verbis sic titulus se habet. *Ne quis in duabus Præbendis vel Ecclesiis intituletur, sed singula officia & beneficia conferantur personis cujuscumque status & conditionis existant.* Ex his monstrosissima multitudo & superfluens redundantia Beneficiorum formabatur quâ quidem nostra ætate Gallia neutiquam laborat. Sed cum eo tempore perversus usus cæptus sit obtinendi Prioratus, seû præfecturas Monachorum, post positâ professione seû solemni aut privata votorum emissione, Durandus abusum ejusmodi sugillat vehementer, totisque viribus nititur ut authoritate imminentis Concilii Viennensis propulsetur, quo Monasteriorum omnis disciplina aut vivendi ratio ad extremas angustias redacta ad interitum

præceps inducebatur. Eâ de causâ potissimè carpit Cardinales tot malorum in sui & famulantium gratiam autores. *Hac peste*, inquit Durandus, *noviter introductum contra jura quod Prioratus Conventuales & alia Beneficia Ecclesiastica consueta ab olim regi & gubernari per Monachos & per alios regulares, prædicti Domini Cardinales (ac si Beneficia sæcularia nequaquam sufficerent: vel si per illos meliùs quam per alios reformari deberent) sibi & suis faciunt assignari, quamquam non efficiantur Monachi nec sint debita & regula Monachorum & aliorum regularium, &c.* Sed cum elapso tempore Concilii Viennensis permiserit Ecclesia ejusmodi Monachorum Beneficia seû eorum regimini munera destinata à viris sæcularibus, seû nulla professione Monachi exornatis possideri & comparari, meliusque & conducibilius ea bona & prædia dari Clericis, viris probis & honestis quàm otiosis Monachis claustri syrmate deformatis

reputaverit: ejusmodi quæstionis ratio prorsùs mutata videtur; nam perversus & pravus usus bonorum Ecclesiæ in rectam & laude dignam ascesim transformatus est; adeòque concludimus locum Durandi Mimatensis nihil officere sententiæ quam defendimus in gratiam honestæ & rebus Ecclesiæ conducibilis multitudinis seû consociationis Beneficiorum sociabilium residentiâ & functionibus non repugnantium. Quippè cum hic locus Cardinales tantummodò spectet, quiquidem eo tempore disciplinæ Monasteriorum eversionem flagrantibus vitiis non immeritam suâ authoritate procurabant & consignabant. Quis enim dubitet Durandum sugillando multitudinem aliud spectasse quam Beneficia oneribus residentiæ & functionum adstricta, ut patet titulo 47. tertiæ partis, libri De modo tenendi Concilii generalis. Ibi enim facta mentione remediorum quibus animæ fidelium negligentiâ

&

& veterno Pastorum ægritudine laborantes & afflicti sanari possent, morbi causam in dispensationes & immunitates ab Romanâ Curiâ liberaliter & faciliter concessas refert, quibus fulti Pastores & Episcopi sæpius à suis diæcesibus & Curis aberant. *Negligentia etiam circa Curam dictarum animarum manifestè apparet, quia per Romanam Ecclesiam absque evidenti necessitate, vel utilitate dispensatur cum multis ut pluralitatem Beneficiorum Curatorum obtineant.* De iisdem loquitur Beneficiis articulo 43. ejusdem tertiæ partis. In quâ rationes indicans quemadmodum procurari posset indigentibus Clericis quod sufficiens victibus annuis foret instructui & suppellectili honestæ necessarium, ait, *posset etiam provideri prædictis de Ecclesiasticis Beneficiis quæ tenent multi alienigenæ in alienis regnis quorum linguagia non intelligunt nec habiles sunt ad Curam exercendam in eis, nec in eis residere intendunt, nec etiam possunt.* Ecce

Q

casus, ut facile videre est, acu pictos, in quibus non solùm Beneficiorum multitudo vitanda est, & pertimescenda, verùm etiam singularitas. Homini enim cujus nec in voluntate, nec in potestate residentia posita est, nec cura, nullum sivè singulatìm, sivè acervatìm relinquendum est Beneficium aut conferendum. Ulterius abripitur Durandus; iis enim dari Beneficium prohibet quibus Patrimonium competit. *Posset etiam, inquit, talibus Clericis provideri*, scilicet quibus virtus, quod sæpè accidit, causa paupertatis esse solet, *de Beneficiis quæ divitibus indebitè conferuntur. Nam sicut Hieronymus ad Damasum Papam scribit, Clericos illos convenit Ecclesiasticis stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla bona suffragantur. Qui autem ex bonis parentum & suis operibus sustentari possunt, si, quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profectò committunt & per abusionem talium sibi judicium manducant & bibunt.*

CAPUT XVII.

Explicatur Decretalis quæ incipit Execrabilis *ex Libro III. Capite 3. extravagantium Communium titulo de Præbendis & Dignitatibus.*

I. Joannes Vigesimus secundus cùm jure successionis locum occupasset Clementis V, anno Christi MCCCXVI, Decretalem quæ incipit hoc verbo *Execrabilis*, anno secundo sui Pontificatus emisit, Kalendis Decembris, scilicet, anno MCCCXVIII, Octavo post Concilium Viennense. Reverâ magna severitate animadversionis commotus Pontifex videtur in avaritiam & flagrantem libidinem virorum sacrorum, quam in Beneficiorum multitudinem vehementer refundit. Sed fateri opus est ne verbum quidem de Beneficiis simplicibus & in commendam adeptis incurrere, quod eorum multitudinem

aut redundantiam ſpectet, ſed ſolùm de Perſonatibus, Dignitatibus, Præbendis & Prioratibus quibus Cura animarum incumbit. Concepta verba ſic ſe habent. *Execrabilis quorumdam tam religioſorum quam ſæcularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens eo magis inſatiabilis creditur quo ſibi amplius indulgetur & improbitas importunè petentium à nobis, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus non tam obtinuiſſe quam extorſiſſe plerumque noſcuntur, ut unus interdum etiam ad unum Beneficium Eccleſiaſticum minus idoneus in diverſis Eccleſiis ne dum vicinis, ſed ab invicem longè diſtantibus, immò non numquam in diverſorum regnorum partibus ſituatis plures quam duas, vel tres aut plures etiam dignitates, vel perſonatus, officia ſeû Prioratus, aut diverſa Eccleſiaſtica Beneficia Curam animarum habentia poſſit diſpenſatione cum aliis non liceret de jure communi recipere.* Ex his facile eſt intelligere quam ſpeciem multitudinis ac redundantiæ Beneficiorum

cohibere animo intenderit iste Pontifex. Stomachosiores adversarii consociationis. Beneficiorum etiam sociabilium, seû functionibus & residentia carentium non ausi sunt hujusce Decretalis testificationem proferre adversùs omnem multitudinem, sed eam esse principiis, rationibus & dictis antiquorum refertam, quæ manifestè probant ut sibi persuadent, hunc Pontificem in animo habuisse plenam & amplificatam prohibitionem multitudinis & consociationis omnium cujus cumque generis aut speciei Beneficiorum. Ut patet ex libro eruditi Claudii Placæi de singularitate Beneficiorum Capite 3. § 4. articulo 5. numero 9. pag. 291. secundæ Edit. Paris. anni MDCLXX. in quo septem casus & incommoda refert quæ sanciendæ legi Decretalis summo Pontifici causam præbuerunt, *Unde*, inquit Placeus, *cætera inconvenientia subscripta leguntur 1. quod videlicet interdum unus qui unicum quamvis*

modicum vix officium impleret sufficienter plurimorum sibi vindicat stipendia quæ literatis vitæ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant possunt abundè sufficere æqua distributione collatæ. Verum quis ex his verbis *unicum quamvis modicum vix impleret officium sufficienter*, non intelligat Pontificem loqui de Beneficiis quibus functiones annexæ permanserunt. Cum præsertim manifestè significaverit se loqui de Beneficiis Curam animarum habentibus, Dignitatibus & Personatibus. 2°, *Habentibus ipsa paratur vagandi materia.* Ex quo genere Beneficii hoc incommodum magis erumpit quam functionum in variis locis & residentiæ obligationem habente? Numquid non contrarium prorsus erumpit ex Beneficiis simplicibus omni functionum & residentiæ munere & onere carentibus. 3°. *Divinus cultus imminuitur.* Quippè cum unus homo & idem non possit verbum Deï & sacramenta administra-

re, ſingulis que officiis Eccleſiæ ſatiſfacere niſi aſſiduitatis onus ſuſtineat & lege reſidentiæ perſtringatur. 4°. *Hoſpitalitas ipſis Beneficiis debita non ſervatur.* In idem incommodum recidit, quis enim hoſpitalitatem ſervare poteſt ab hoſpitio continuó abſens & in eo neutiquam reſidens? 5°. *Et dum ſunt in una quaque regione rectores Eccleſiarum detrahitur commodis & honori quo carentes defenſorum auxilio in juribus ſuis.* Hoc incommodum ſpectat accuratè Epiſcopatus, Curas Parochiales, Canonicatus & Dignitates quas in variis regnis poſſideri hujus temporis perverſus uſus convitio efflagitabat, ut conſtat ex primis verbis hujus Decretalis ſuprà relatis. 6°. *Et multipliciter collabuntur ædificia nobilia quæ magnificentia extruxerat deceſſorum.* Hoc malum non magis multitudinem Beneficiorum conſequitur quam ſingularitatem. 7°. *Et quod amarius eſt dolendum, animarum Curâ negligitur & vitiorum ſenſibus fo-*

mentum periculose prabetur. Hoc consectaneum prorsus nullum est, cùm unum Beneficium Curam animarum habens possidetur, cum altero hoc onere carente, & officia Pastoris tùm quoad functiones, cùm quoad residentiam benè & sapienter explentur & perficiuntur. Igitur utcumque suis observationibus repugnante Placæo hæc incommoda non sunt consectanea multitudinis Beneficiorum sociabilium, sed tantùm residentiam & functiones pastorales requirentium quales sunt plures Episcopatus Curæ, Canonicatus & Dignitates. Ea igitur quæ sociabilia numcupamus posse consociari absque culpâ & peccato non dubitamus, dummodò libidinis, aut avaritiæ instigatione non comparentur & fructus eorum, seû proventus in usus pios & sanctos ad sublevandam miserorum egestatem & Ecclesiæ utilitatem liberaliter insumantur. Insuper ex hujusce Decretalis conceptis verbis patet summum Pontificem

tificem Joannem XXII. numquam appulisse animum aut voluntatem applicasse ad tollendam penitùs omninò Beneficiorum omnis generis multitudinem seû consociationem, sed solummodò effrænatam redundantiam & superfluentem Beneficiorum insociabilium, à se invicem longinquitate itineris remotissimorum & in alienis regnis collocatorum; & temperandas immunitates earumque fluctus aggere prudentiæ coercendos. *Nos itaque*, inquit Papa, *tot malis tantis que discriminibus occurrere cupientes, omnes & singulas dispensationes super receptione aut retentione plurium dignitatum, personatuum, officiorum, Prioratuum, aut Beneficiorum quibus Cura animarum sit annexa, sub quacumque forma vel expressione verborum à nobis vel predecessoribus cuicumque personæ concessas, in forma subscripta duximus taliter moderandas, per quod moderamen nostrum effrænatam circa easdem personas talium Beneficiorum multitudinem refrænamus.*

R

CAPUT XVIII.

Exponitur ſententia Joannis Gerſonis Eccleſiæ & Academiæ Pariſienſis Cancellarii.

NON dubitavit magnus iſte Theologus in quibuſdam circunſtantiis rei Beneficiariæ, non ſolùm licitam eſſe multitudinem verùm etiam neceſſariam ; nec eam improbavit aut repudiavit, niſi cupiditate aut avaritiâ coagmentatam. Eam igitur ſolitariam impugnat aut horreſcit multitudinem, quâ in collatione & receptione Beneficii indignus digniori præfertur. Indignus inquam inebriatur, cum dignior alget & graves irritatæ neceſſitatis morſus patitur. Inſuper obſervat in nulla unquam Republicâ viſum eſſe malum, quo ſua ætate pulſabatur Eccleſia, & in qua tanta inter ſacerdotes &

altarium ministros extiterit discrepantia: Adeò ut quidam majores principibus & ditiores, alii infimâ plebe deteriores & macilentiores viderentur, alii scientiâ & sapientiâ præstantiores. Quippè sic fatur Cancellarius in sermone *de tribulationibus & defectuoso Ecclesiasticorum regimine adhuc Ecclesiæ perventuris & de signis eorumdem* pronunciato Constantiæ die conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ. Qui occurrit in operibus Gersonii parte 1. pag. 202. lit. A, in columna exteriori. *Sed non puto quod unquam fuerit aliquarum gentium politia in qua esset tanta sacerdotum differentia ut si hi quidam essent majores principibus hujus sæculi, licet indoctiores; alii ejusdem gradus & ordinis, licet doctiores & sapientiores, egentiores vulgo.* Ex his etiam intelligimus Gersonium non reprehendisse multitudinem Beneficiorum insociabilium, perverso suæ ætatis usu confirmatam, quamvis effrænatam & horribilem, in declaratione

compendiosâ defectuum virorum Ecclesiasticorum relatâ 1. parte Gersonii pag. 205. & 206. in quibus sic exclamat. *Ubi est quod Clerici in duabus civitatibus & Ecclesiis Præbendas vel prælationes non habeant*, & pag. 207, in qua observat & inter memorabilia refert viros quosdam suâ ætate, habuisse ducenta & trecenta Beneficia & quosdam homines quatuor, quinque, sex, & octo sibi comparasse nequidem uno dignos. *Et quæ utique abominatio quod unus tenet ducenta & trecenta Beneficia Ecclesiastica*, & infrà in eodem tractatu. *Quid est quod hodie unus, utinam mediocriter doctus, tenet quatuor quinque vel sex vel octo Beneficia, quorum uno non est dignus, quibus octo sustentari possent doctrinis, orationibus & divinis laudibus insistentes.* Heu! quæ magis abominanda contingere potest infelicitas aut monstruosa multitudo. Hanc neminem hominem defendere posse mihi persuadeo quin de potestate mentis excesserit. De istius-

modi multitudine & horribili pluralitate ait Gersonius in libro sub titulo Regulæ morum. *Quod si teneat quis plura Beneficia ex dono superioris in casibus non excusantibus hanc pluralitatem, peccare potest uterque, conferens per indiscretionem, recipiens per ambitionem: nihilominus occupans restituere percepta non tenetur, sed nisi pæniteat & pro futuro provideat non erit solus.* Sed quod spectat Beneficia in his circunstantiis & conditionibus posita, quibus multitudo & consociatio licita est, ut verbi gratia, cum duo vel tria, quod sufficiens est honesto victui non suppeditant cui plura vel pauciora necessaria sunt, circumspectis rationibus status aut conditionis vitæ, ut inquit idem Cancellarius eodem sermone de signis ruinæ Ecclesiæ in Concilio Constantiensi *ex naturali prudentia & morali Philosophiâ similiter & Theologia conceditur, quod Ecclesiastici debent habere unde possint honestius vivere quàm populares, & prælati quàm subditi.* Docet

nos idem, vel æqualis autor & ſuppar, in Regulis moralibus, multitudinem qualemcumque Beneficiorum non repugnare, dummodo ritè & non protervè ſuperiorum authoritate comparentur, immò plura in hoc caſu tamquam unicum Beneficium exiſtimari debere, utiturque comparatione familiari hominis qui pluribus induſiis aut veſtibus ſæviente frigore hyemis coopertus quaſi unâ veſte indutus incedit, eoque modo effieri unitatem Beneficii obſervat unitate quadam morali. Certè non videtur Beneficiorum multitudo nervosè magis poſſe corroborari; reverà tamen ita temperat ut à ſenſu noſtro Gerſonius alienus eſſe non poſſit. Illam enim conſociationem tantummodò repellit Beneficiorum quæ eſt inſociabilium, in quibus annexæ functiones & obligatio reſidentiæ repugnant. Porro ita ſe habent concepta verba in operibus Gerſonii in Regulis moralibus pag. 20. lit. D. *Quantumcumque multa Beneficia ali-*

quis teneat autoritate superioris illa possunt dici unum Beneficium (sicut plures tunicæ in magnis frigoribus unica tunica) & hoc unitate morali, si illa omnia non sunt nisi ad sufficientem decentiam status occupantis secluso scandalo & impossibilitate officiandi per se vel per alium non existente. Insuper non est credibile Gersonium opinionem suæ repugnantem & contrariam perfecisse aut minùs probabilem relicta probabiliore sequutum esse, quod tamen ei contigisse necesse erit, si alieniorem sententiam iniverit & unicum singulariter Beneficium possideri posse absque culpâ sibi persuaserit. Quippè cùm ipse præter Beneficium Cancellariæ Parisiensis Ecclesiæ, alterius decanatum ferè integro vitæ cursu obtinuerit, uti intelligere facile est ex causis quas scripsit, propter quas Cancellariam dimittere volebat & quæ extant tomo 2. Operum Gersonii pag. 826. columna exter. lit. A, Parisiis anno 1606. *Cogor*, inquit,

pro videndo, lege fortè, *pro vivendo decanatum tenere ubi proficere verbis & exemplis ſum aſtrictus & tamen ſi non reſideam in Cancellariâ, ſciunt omnes eſt juramentum, quale murmur, quale detrimentum & qualiter jure vocabor monſtrum biceps, ambitionis inſuper immo de jerationis exemplum putabor.*

CAPUT XIX.

Explicantur ſententiæ Cardinalis Cajetani, Adriani VI ſummi Pontificis & Dominici Soto.

NON levis eſt ponderis ſuffragium hujuſce Cardinalis in rebus Theologicis, quantumvis propitii ſcholaſticorum placitis ſingularibus & non vulgatis, immò & à Facultate Theologicâ Pariſienſi cenſura notatis. Ea de cauſâ ſingularitatis Beneficiorum defenſores moroſi & contumaces in ſuæ opinionis tutelam & patrocinium ejus ſcripta prodere

ſolent. Sed ex hujuſce capitis continenti ſermone ſubinde perſpicere nec arduum nec difficile erit, quantùm tanti doctoris autoritate abutantur & humanas mentes ludificent.

I. Claudius Placeus ſtomachoſior cæteris noſtræ ſententiæ adverſariis ſui libri de ſingularitate Beneficiorum Capite 3. § 4. Argumento 5. numero 15. pag. 304. & 305. locum prodidit ex parva ſumma Cardinalis verbo *Beneficium* § *Mortale*, quoquidem fatetur Cardinalis non ſine peccato mortali plura in eodem homine condenſari ſeû conſociari Beneficia inſociabilia, ſic interfatur: *Mortale autem peccatum in hujuſmodi pluralitate intervenit quando non propter rationabilem cauſam obtinet quis multa Beneficia incompatibilia & unus quidem occupat loca multorum, alii autem eſuriunt, &c. quia ejuſmodi pluralitas eſt injuſta contra æqualitatem juſtitiæ diſtributivæ. Nec excuſatur peccatum mor-*

tale propter diſpenſationem Papæ ſine rationabili cauſa : quæ diſpenſatio Papæ cadit ſuper jus divinum & morale ; pluralitas autem Beneficiorum ſine rationabili cauſa eſt contra jus divinum & morale quo Communia Eccleſiæ bona juſtè diſtribui debent partibus Eccleſiæ.

II. Poſtquam applicatâ mente perſpexit Cardinalis multitudine innumerabiles viros, pietate & ſcientia inſignes, ad extremas anguſtias paupertatis reductos injuſtâ & nefandâ Beneficiorum diſtributione & in unius ſæpe indignioris hominis vili capite coacervatione & condenſatione, exprobrat dedecus turpiſſimum quod adverſus viros frugi ex tam horribili bononum Eccleſiaſticorum diſtributione erumpit & orbem Chriſtianum conſpurcat. *Qui vident*, inquit, *ejuſmodi exorbitantes diſtributiones conſervari ab his qui in formam gregis Chriſtiani dati ſunt inde enim alii ſimilia audent & ſic in præceps ruit Eccleſia Chriſti.* Ex his concludit dene-

gandam esse peccatorum ejusmodi veniam seû absolutionem Beneficiorum Grassatoribus; *& propterea*, inquit, *qui hoc parui pendit* quia sic communiter *à tot fit, & quia fortè Papa dispensando dissipavit, non esset absolvendus, ut absque alia probatione clare patet; qui verò hæc æstimat provideat opere & veritate ut hæc mala non sint, alioquin tepidus est evomendus.*

III. Hæc quidem homini mentis compoti multâ cogitatione reputanda videbuntur. Sed primâ fronte animadvertere opus est Cajetavum eò loci Beneficia non spectare præter insociabilia. *Quando*, inquit, *non ob rationabilem causam obtinet quis multa Beneficia incompatibilia*, qualia sunt Curam animarum habentia, quibus immunitas residentiæ dari contra jura non debet & quorum Grassatoribus seû occupationibus distentis hominibus venia peccatorum seû absolutio deneganda est. Et propterea, *si possibile est*, inquit, eodem loci, *difficile tùm*

& rarum videtur, quod absque notabili damno Ecclesiarum hujusmodi pluralitas continuetur, si Beneficia sint curata & quando sic accidit, neganda esset absolutio, quoniam notabilis damni Ecclesiæ conservatio voluntaria, absque rationabili causa, non est absque peccato mortali: Addit ut videre facile est, *absque rationabili causa.* Enimverò cum adeò tenuis aut exiguus est fructus seû proventus Curæ parochialis ut victui honesti viri & suppellectili atque instructui non sit sufficiens, tunc secundum Cajetanum ejusmodi multitudo nec prohibita nec insolens est. *Beneficium adeò tenue, quod non sufficit ad sustentandum ministrum, non est Beneficium, nisi imperfectè, quoniam non potest sanâ ratione institui ut unum sit in unius stipendium & propterea de his minimis fit ut melius fieri potest quo usque minister habeat sufficienter undè vivat: Quoniam propter ministros sunt Beneficia & non è contra.* Verùm de his in memoriam redire debet quod supra observavi-

mus, ſcilicet uberiores fructus & proventus requiri ad id quod ſufficiens eſt victibus annuis honeſti viri in amplitudine quadam conſtituti, quàm popularis aut infimâ plebe orti, ut annotavit Gerſonius, ſermone in Conſtantienſi Concilio habito de ſignis ruinæ Eccleſiæ. *Ex naturali prudentiâ & morali Philoſophia ſimiliter & Theologiâ conceditur quod Eccleſiaſtici debent habere unde poſſint honeſtius vivere quàm populares, & prælati quàm ſubditi.*

IV. Inſuper Cajetanum frangere noluiſſe quam defendimus de multitudine Beneficiorum non inſociabilium ſententiam ex eodem loco ejuſdem ſummulæ manifeſte intelligimus. In quâ conceptis verbis, ait coagmentationem & multiplicationem Beneficiorum de ſe nec culpam eſſe nec peccatum, cum plura poſſidere nihil vetet. *Beneficium Eccleſiaſticum quoad multiplicationem conſiderandum eſt quando eſt peccatum & quantum ad quod diſcernendum noſſe oportet*

quod multiplicare in uno Beneficio non est ex suo genere peccatum, quod si esset ex se peccatum nulla unquam ratione liceret habere plura Beneficia, Eccam sententiam defendimus, scilicet solitarias functiones sibi invicem repugnantes & obligationem residentiæ, causas esse propter quas plures habere Præbendas & Episcopatus & curas parochiales interdictum sit. Sed cum in Ecclesiæ potestate positum sit & receptæ consuetudinis in legem efformatæ authoritate, ut hisce vepribus & salebris Beneficia plæraque extricarentur, & Abbatiæ ac Prioratus residentiâ & regimine monachorum immunes haberentur, nihil vetat recognoscere, repugnantiâ seû contrarietate remotâ & expunctâ, nihil prohibere quominus plura Beneficia ab eodem homine summatìm teneantur; nisi adversæ sententiæ morosi defensores dicere velint non potis esse Beneficia adipisci aut possidere nisi affectu libidinis aut avaritiæ:

quoquidem in casu multitudinem & unitatem Beneficiornm æquabili contumeliâ peccati & opprobrio expleri necesse est & fœdari. Ejusmodi criminis labe fructus seû proventus ex paternis prædiis hæreditario jure percepti immunes non erunt, quippè cum non nisi malum & peccatum vi tensili cupiditatis effieri & efformari queat ex mente sancti Augustini.

V. At, inquiunt, reverà fatetur Cajetanus, esse quasdam circunstantias & commissuras rerum in quibus Beneficiorum multitudo potest esse licita & jure confirmata, sed apertè docet justam ejusmodi multitudinis & rationabilem causam in solam Ecclesiarum utilitatem refundi & referri debere; neutiquam verò personarum aut hominum in quibus ejusmodi Beneficiorum coagmentationes & consortiones effieri solent. *Et hæc ratio*, inquit, *maximè ex parte Ecclesiarum pensanda est; non enim propter bonum personæ, sed propter bonum Ecclesia-*

rum tolluntur ejuſmodi inconvenientia. Sed facile eſt reſpondere Cajetanum ſpectare solùm Beneficia curam animarum habentia & inſociabilia propter repugnantiam functionum & reſidentiam. *Accipere*, inquit, *plura Beneficia ſonat quod nocivum eſt Eccleſiæ & diminuendo miniſtros cultus divini & occupando quod multorum deberet eſſe, & animarum quandoque Curam debitam impediendo.* Ea enim impedimenta in Beneficiis ſimplicibus non incurrunt, quorum multitudo nequaquam divini cultus miniſtros minuit, quæ quidem, ex aſceſi Eccleſiæ & conſuetudine receptâ, ſacris ac majoribus ordinibus nondum initiati poſſident. Hæc etiam nihil attinent Abbatias in commendam aut Prioratus, quos ſingulatim habere nemini homini pio & docto in religionem aut ſcrupulum venit: cum præſertim ejuſmodi Abbates & Priores nec Monachi ſint nec monaſteria regant aut adminiſtrent.

VI.

VI. Adrianus ſextus ſanctiſſimus Papa, qui ſub nomine proprio Adriani Florentis Profeſſor Theologiæ in Academia Lovanienſi & Cancellarius fuerat & Præceptor Imperatoris Caroli Quinti, non in aliam ivit ſententiam quam Theologi quorum jam teſtimonia prodidimus. Quippè ſic interfatur in tractatu de reſtitutione, inter quæſtiones quas ſcripſit in quartum ſententiarum folio 73. verſo. *Ideò pro veritatis deciſione hanc pono concluſionem ſecundam, diſpenſatus per Papam ad plura Beneficia ſi ſub eſt Eccleſiæ neceſſitas vel communis utilitas tutus eſt.* Antequam hanc concluſionem aſſumat, quæſtionem in utramque partem verſat & ſex caſus conſtituit in quibus accuratè definit poſſe poſſideri plura Beneficia etiam inſociabilia: hi ſex caſus referuntur folio 72. verſo ejuſdem tractatus. *Omnis pluralitas Beneficiorum qualiacumque ſint ipſo jure interdicta eſt, niſi in caſibus ſpecialiter à jure exceptis, & ſunt ſex; pri-*

S

mus cum Ecclesiæ sunt tenues. Secundus si una Ecclesia dependet ab aliâ. Tertius si una intitulata & alia commendata fuerit. Quartus si Episcopus dispensat. Quintus cum est paucitas hominum extra civitatem vel intrà civitatem. Sextus si Ecclesia annexa fuèrit præbendæ. Attamen Maximus doctor edicit & nervosè pronunciat adversus eos qui plures Præbendas habent, præter suprà positos sex casus, solamque de Præbendarum consociatione quæstionem examinat, ex quibus facile effici potest, quid cogitaverit de Beneficiis, quibus obtinendis Clerici simplici tonsura initiati apti & idonei juribus reputantur & ab omnibus functionibus & residentiâ immunitatem consequuntur. Enim verò si sex sunt casus in quibus contingere potest ut quis securâ conscientiâ plures præbendas possideat, quid vetat præbendam unam cum Abbatiâ aut Prioratu agglomerare, vel cum Cura parochiali Prioratum simplicem? Dum-

modo hæc Beneficia nec instigatione cupiditatis aut avaritiæ singulatìm aut aggregatim comparentur aut teneantur.

VII. Hisce propter conformationem sententiæ adjungere possumus Dominicum Soto Ordinis Sancti Dominici Sacræ Theologiæ Professorem in Universitate Salamanticensi, Imperatoris Caroli Quinti à Confessionibus, quem in patrocinium singularitatis Beneficiorum profert Claudius Placeus capite 3. § 4. argument. 5. pag. 307. & 308. Insignis ille scientiâ & pietate Theologus interfuerat primæ sessioni Concilii Tridentini vices gerens præfecti generalis Ordinis Sancti Dominici, in qua priusquam sessio consisteret statutum fuit non ei fore licitum jure suffragii uti ad judicium ferendum, sed solummodò ad consilium dandum, ut refert Cardinalis Palavicinus Historiæ Concilii Tridentini libro VI. capite 2. ad annum MDXLVI. Scrip-

tores Ecclesiastici, quibus incumbit defendere ac tuendam recipere singularitatem Beneficiorum, proferunt ex hoc Theolgo assumptum locum ex libro 3. de justitiâ & jure, quæst. 6. articul. 3. sed in vanum & perperàm ejusmodi locum inducunt qui quæstionem in præsens tractabilem neutiquàm attinet: quippè cùm libenter & semel & iterum fateamur, multitudinem seû coagmentationem Beneficiorum, quam pluralitatem vocant, insociabilium, idest propter functiones aut debitam residentiam repugnantium, à nemine homine posse aut debere defendi. Insuper Placcus non videtur scivisse Dominicum Soto hanc quæstionem amplificato sermone pertractasse & de hac, an pluralitas Beneficiorum sit jure permissa, lucubrationem singularem scripsisse, quæ occurrit in collectione plurium opusculorum variorum autorum de authoritate summi Pontificis, residentiâ Episcoporum & plu-

ralitate Beneficiorum, impressa Venetiis in officinà Jordani Ziletti sub signo stellæ, anno Christi MDLXII: ibi enim accuratè & castigatè hanc quæstionem versat Dominicus Soto, & postquam incommoda ex dispensationibus Romanis exsurgentia patefecit, in gratiam pluralitatis Beneficiorum Curam animarum habentium & Præbendarum, casus & circunstantias exponit quibus ejusmodi Beneficiorum condensatio permitti potest ad mentem S. Thomæ conceptis verbis sic interfatur. *In Beneficiis simplicibus scilicet, neque habentibus Curam neque residentiam exigentibus, qualia sunt præstamera sivè potius prestaria* (hoc est prædia Monastica per Libellum * precarium ad usum fructum & sub annuo censu præstita & accommodata) *nulla est necessaria dispensatio ut plura eadem persona obtineat. Scio Glossas sacrorum Canonum multas in contrarium ire, sed tamen non solùm receptus jam usus,*

* Lexicon du Cangii, Tom. 3.

verum & ratio nostra conclusionem edocet. Est enim adnotandum fundamentum, quod ex Sancto Thoma supra desumpsimus, videlicet in his & his spectandum esse trinum jus, scilicet divinum, naturale & humanum, quorum hoc ultimum per desuetudinem legis aut contrariam consuetudinem abrogatur. Quod autem quis duo habeat simplicia Beneficia non est usque adeò contra naturale jus & divinum ut consuetudo illud nequeat abrogare. Hoc patet, quoniam licet habendus etiam oculus in istis sit ad justitiam distributivam, potissimùm tamen commutativam, per quam Ecclesiis de ministris providendum est. Ubi autem residentia non est requisita, ibi Ecclesia non læditur ob Præbendarum pluralitatem. Ego verò nescio an magis conceptis verbis quis possit eloqui & oratione magis clarâ testificari non esse prohibitam Beneficiorum multitudinem nisi per residentiam, Curam animarum & repugnantes functiones insociabilium.

CAPUT XX.

Explicantur sententiæ Martini Aspilcuetæ Navarri, Francisci Toleti Cardinalis, Gabrielis Vasquesii Jesuitæ & Alphonsi Alvares Guerrero Jurisconsulti Neapolitani.

QUATUOR illustres viros, Theologiæ Jurisque scientiâ insignes, in præsidium suarum opinionum prodidit Placæus adversus Beneficiorum quam tuendam recepimus de multitudine sententiam.

I. Igitur inducit Martinum Aspilcuetam dictum Navarrum, Canonicum regularem Sancti Augustini, Jurisconsultum præstantissimum, qui in persuasione fuit plura requiri ad efficiendum sufficiens victibus annuis Cardinalis, Episcopi aut Abbatis, quàm simplicis Sacerdotis aut Curati urbis aut ruris. Hac viâ in sententiam ivit continenti tempore defini-

tam in Concilio Tridentino : Quod conceptis verbis multitudine & coagmentatione Beneficiorum interdixit Cardinalibus nominatìm & omnibus ac ſingulis qui uno Beneficio fruuntur, cujus fructus & proventus victui honeſto & modeſtæ ſupellectili ſufficiunt, nullamque rationem internoſcit Juriſconſultus quæ prohibeat quominus idem homo pluribus Beneficiis reſidentiæ legi non obnoxiis expleatur : Quippè ſic interfatur in Enchiridio capite 25. *de peccatis Clericorum quoad Beneficia* pag. 705. numero 125. & 126. Edit. Lugdun. anni MDCI. *Decimo ſexto*, inquit, *peccat mortaliter qui habet multa Beneficia diviſa in titulum, quorum unum ſuo ſtatui decenti ſufficit, vel ſine diſpenſatione, vel conſuetudine juſta, juxta gloſſam ſingularem receptam à Panormitano & Communi, ut ſentit S.Thomas : dixi diviſa, quia ſecùs ſi legitimè unita & annexa.* At verò in his multa ſunt cogitatione reputanda.

II.

II. Primâ fronte nihil vetat habere plura Beneficia, modò ſint legitimè unita & annexa & culpâ cupiditatis aut avaritiæ non poteſt accuſari qui tres Abbatias uberioris proventus poſſidet cum Epiſcopatu, modò ſint ad regulam juris unitæ & conjunctæ, quemadmodum ſunt cum Archiepiſcopatu Pariſienſi conjunctæ Abbatiæ Sancti Mauri Foſſatenſis & Sancti Maglorii, cum Prioratu Sancti Eligii. Quippè in hoc caſu ex his quatuor unicum & ſingulare efformatur Beneficium. Jam verò ad ſenſum communem hominum appello & libenter confido nullum inventum iri Beneficiarium qui non ſponte conſentiat tres Abbatias, quas forte poſſidet, & totidem Prioratus uniri & ſimul conjungi ut poſſit amoliri & expungere quod Cerebroſi homines ſibi perſuadent exoriri ex ejuſmodi multitudine & pluralitate opprobrium & dedecus; ſed quàm ſupervacanea ſit ejuſmodi mentis il-

lusio quis non intelligat? In quo enim differunt quod Papa permiserit uni homini plura habere Beneficia pro integro vitæ cursu ut fieri solet, vel permiserit pro vitâ illius hominis & successorum in perpetuum, adeò ut vi unionis Pontificia autoritate factæ numquam disjungantur? Immò gravius malum erumpere videtur, si illa Beneficia ita conjungantur ut numquam dissiliant, quàm si ad breve tempus vitæ unius hominis in consociatione permaneant; seû minor esse videtur culpa possidere plura Beneficia divisa, quam eadem legitimè unita & connexa. Ejusmodi enim agendi ratio minus officit piis testamentis, legibus fundationum, & voluntatibus benefactorum: mala quippè brevi tempore duratura tolerabiliora sunt quam perenni & perpetuo.

III. Præterea placet Aspilcuetæ plura Beneficia, *in titulum*, ut loquuntur Jurisconsulti, possideri, quorum alterum in commendam sit compara-

tum, non perennem seû perpetuam; sed ad breve sex mensium tempus contractam, quod prorsus Galliarum usibus repugnat, ut suprà observavimus. *Dixi in titulum*, inquit Aspilcueta, *quia licet habere unum in titulum & aliud ad tempus commendatum, ad sex menses tantùm, si est Ecclesia Parochialis. Dixi ad tempus, nam de commendato in perpetuum idem dicendum est quod de dato in titulum, juxta Cardinalem Alexandrinum, quod probavimus, excepto quod vacans per mortem commendatarii censetur vacare eo modo quo vacabat tempore quo fuit ei commendatum, quod stylus Romanæ curiæ hodiernus palàm servat.*

IV. Tandem Jurisconsultus doctissimus explicat, quid per hæc verba intelligat *quando unum sufficit*, & manifestè comprobat Beneficium, cujus fructus insufficientes sunt honestis victibus Cardinalis, Episcopi, Abbatis, Canonici, vel Curati, posse alterius consociatione cumulari, circumspectis rationibus & conditioni-

bus amplitudinis & dignitatis. *Ex quo*, inquit, *duo collige, posse quem tenere duo Beneficia simplicia non requirentia residentiam personalem quorum alterum non sufficiat absque ulla dispensatione quæ ante hoc Concilium non prohibet retentionem plurium etiam requirentium residentiam personalem per justam dispensationem.* Reverà continuo sermone vult causam dispensationis esse justam & rationabilem & pluralitatem nisi consuetudine æquabiliter justâ & legitimâ, adeòque numquam ambitione,luxu aut avaritiâ fulciri.Quæcum ita sint fateri necesse est Navarrum esse Beneficiorum multitudini & consociationi propitium quam tuendam in tantulo opere recepimus, nec in alienam sententiam ivisse ab ipso Gabriele Vasquesio, quem Placeus in suæ opinionis patrocinium adducit, quamvis sibi repugnantem & maximè contrarium. *Si personæ dignitas expostulet plura Beneficia ut congruè alatur & quia maximè utilis speratur*

esse Reipublicæ Christianæ, ut doctor & alius magnæ autoritatis. Hoc autem non debet esse occasio conferendi plura Beneficia ad luxum & superfluitatem vitæ. Idem Vasquezius postquam diu discussit rem Beneficiariam, præsertim circa Beneficia quæ sine functione & assiduitate seu residentiâ immunia permanserunt, docet ea spectanda esse sicut præstimonia quibus nihil turpe ac probrosum relictum est, nisi quod cùm aggregatìm plura possideantur, justitiæ distributivæ legibus officere necesse est. At continuo sermone observat hanc contumeliam à Beneficiorum multitudine duobus in casibus expungi. 1°. Cùm possidentur duo Beneficia quorum unum, quod sufficiens est victui & honestæ suppellectili hominis frugi non suppeditat. *Si uni*, inquit, *duo conferantur Beneficia, quorum alterum non sufficiat sustentationi; illud enim quod tenue est, non est dandum alicui per se, sed simul cum alio, saltem in hoc non erit acceptio personarum.*

2°. Tollitur hæc turpitudo ratione personæ cui conferuntur si personæ dignitas expostulet plura Beneficia ut congruè alatur & quia maxime utilis speratur esse Reipublicæ Christianæ, ut doctor & alius magnæ authoritatis. Hoc autem non debet esse occasio conferendi plura Beneficia ad luxum & superfluitatem vitæ. Si ergo aliqua ex iis vel alia similis causa intercedat licitè potest quis accipere plura Beneficia hujuscemodi & illa petere. Loquitur de Beneficiis simplicibus, *nec erit injustitia aliqua in hoc; quod si similis causa non adsit, existimo nec consuetudine nec dispensatione Papæ posse aliquem plura sic Beneficia acquirere & hoc dictum puta de pluralitate Beneficiorum quorum alterum tantùm residentiam requirit, alia verò non, tunc enim idem est, ac si omnia essent sine Curâ & obligatione residendi: Vasques tractatu de Beneficiis capite 4. §. 2. articl. 2. dubio 8.*

V. Franciscus Toletus, primus ex societate Jesuitarum ad purpuram Romanam assumptus & roseo pilco

decoratus, vestigia Navarri in hac causâ multitudinis Beneficiorum ingeminat, Instructionis Sacerdotum lib.v. cap.81. numero 1. pag. 854. *Sunt aliqua quæ ex se mala sunt & numquam possunt fieri bona, ut mentiri quocumque modo & fine quis mentiatur semper peccat. Non est hujusmodi plura habere Beneficia, nam aliquando licitum est & bonum.* Capite sequenti scil. 82. sex casus in jure expressos commemorat in quibus licet habere plura Beneficia, quibus quatuor aggregasse Concilium Tridentinum asserit, adeò ut nullus dubitandi locus relinquatur quin decem in casibus minimè vetita sit Beneficiorum plurium multitudo & in eodem homine coagmentatio. Porrò inter hos casus non prætermisit eum in quo necesse est à prædiis & fructibus Beneficii suppeditari quod victibus & honestæ sustentationi sufficiens est, circumspectis omnibus rationibus personæ, loci & temporis, quam in rem profert

hæc verba Concilio Tridentino conformata sessione 24. capit. 17. *Nullus deinceps potest habere plura Beneficia, etiam sine curâ quocumque modo, nec etiam in commendam perpetuam, nisi unum ad sustentationem pro ratione personæ, loci & temporis non sufficit.* Quid enim hæc significant *pro ratione personæ, loci & temporis non sufficit?* Proventus fructuosi Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Canonicorum Ecclesiarum regiarum, Parochorum majorum, exempli gratiâ Sancti Eustachii & Sancti Sulpitii Parisiensium coarctabunturne ad summam quindecim Libellarum pro victibus annuis & honestis juxta definitionem Facultatis Parisiensis, vel amplificabuntur & producentur ad mille quingentas Libellas seû mille quingentos aureos, quemadmodùm æquitas & justitia postulare videntur, circumspectis rationibus temporis quo vivimus, urbis quam incolimus & dignitatum quibus decorati & exornati

ſumus. Utcumque res ſint, hæc omnia aſſumenda ſunt ad concludendum quod, cum ſecundum regulas morum prorſus ſit ἀδύνατον figere, pro locis omnibus, hominum variis conditionibus & temporibus, quid accuratè ſufficiens ſit victibus annuis honeſti viri, in ſuperiori aut inferiori amplitudine conſtituti, ut oſtendimus ſupra capite 8. hujus Lucubrationis, reverà Beneficiorum multitudinem nec jure naturali, nec divino, nec poſitivo eſſe prohibitam, immò poſtpoſitâ inſtigatione ambitionis & avaritiæ omnibuſque earum ex punctis illecebris eſſe licitam. Dummodò Beneficia non ſint functionibus aut obligatione reſidentiæ repugnantia & inſociabilia.

VI. Claudius Placeus Rector Univerſitatis Pariſienſis, qui ſui primo aſpectu libri de ſingularitate Beneficiorum ſibi perſuaſit peccatorem iraſci & dentibus fremere ac tabeſcere, locum ampliſſimum prodidit ex libro

Alphonsi Alvarez Guerrero Jurisconsulti Neapolitani, quem Magistratum gessisse laïcum reputat, ignorans fuisse Episcopum Monopolitanum in regno Neapolitano & mortuum esse anno MDLXXVII. At verò hujusce autoris, viri Episcopatùs amplitudine, scientiâ & pietate perillustris, hæc concepta verba profert ex libro sub titulo Thesauri Christianæ religionis capite 34. ex quibus quod præcipuum est referam, reliqua verò quæ supervacanea ad rem præsentem videntur relinquam.. *De pluralitate Beneficiorum scribere volui; licet nostris temporibus infælicibus non modò non judicatur criminosum, verùm is sapientior habetur majori que dignior honore qui plura Beneficia aggregare & acquirere sciverit, licet perniciosissimum Christianæ Reipublicæ, Ecclesia que Universalis statui animarumque saluti fore censeo, idque rationi naturali obviare ac saluti Ecclesiæ constitutionibusque plurimorum sanctorum doctorum opinionibus contradi-*

cere. Non potis erat magis nervosis verbis impetere multitudinem Beneficiorum, nisi hæc essent contra pluralitatem insociabilium, scilicet eorum quibus annexa est obligatio residendi & Cura animarum. *Quid enim*, inquit, continuo sermone, *rationi naturali magis adversum quam quod unus & idem homo varia Ecclesiæ stipendia in variis & distantibus sæpè locis & quibus varia incumbunt onera in seipsum suscipiat?* Subinde refert historiam Cancellarii Universitatis Philippi de Greva, de cujus æternâ damnatione superiùs diximus; quicum quæstio intercesserat de solitaria multitudine Præbendarum residentiam exigentium; docetque continenter multis in casibus accidere ut absque culpa & peccato ambitionis aut avaritiæ plura Beneficia possideantur. *Sed nihilominus*, inquit, *propter aliquas particulares circunstantias intervenientes aut ex parte Beneficiorum aut ex parte Ecclesiarum, aut ex parte*

parte personarum, potest contingere quod bonum sit unum habere plura Beneficia & sit licitum & honestum & maximè cum per eum qui præest & habet hujusmodi circunstantias ponderare, cujusmodi est Papa, dispensatur. Nam habere plura Beneficia simul licet absolutè sit malum ut in nullo casu possit benefieri, quia non tollitur finis: potest enim Beneficiatus doctus & nobilis persona eminens ministrare per se, ut superiùs diximus autoritate Papæ dummodò justa causa fiat & non acceptio personarum, si non serventur æqualia in personis æqualibus. Unde quando conditio alicujus personæ requirit ut rationabiliter aliquid in eo observetur, non est personarum acceptio, sed sibi specialis aliqua gratia fiat, sed dispensatio non fiat passim & indiscretè, quoniam olim in Curis & dignitatibus dispensabant Episcopi sed hoc mutatum fuit propter indiscretas & stultas dispensationes Episcoporum.
Ego verò existimo non posse verba proferri hisce magis vel efficacius propitia Beneficiorum multitudini

& coagmentationi, ſcilicet eorum quæ ſociabilia ſunt, & nullatenùs ob functiones aut debitam reſidentiam repugnantia, nec per ambitionem aut avaritiam comparata, ſed ſolummodò conſilio & æquâ mente procurandi quod ſufficiens ſit annuis victibus & temperatæ ſupellectili, atque inſtructui neceſſario hominis probi & viri honeſti ac liberalis. Hæc ſententia Alphonſi Alvares Guerrero, Epiſcopi Monopolitani communis eſt omnibus Theologis; nemini enim homini Theologo aut perito Juriſconſulto in mentem venit defendere Beneficiorum pluralitatem exigentium reſidentiam, functionibus & officiis repugnantium, patrocinium avaritiæ aut libidini præbentium, Eccleſiæ neutiquàm conducibilium, denique ſine juſtâ ac legitimâ immunitatis & diſpenſationis cauſa in uno codemque homine redundantium. Æquabili ratione horribilis ac pertimeſcenda eſt unitas ſingula-

ris Beneficii, fructuum ubertate & annonæ pinguedine ambitionem & avaritiam irritantis in abusum & opprobrium degenerantis scholæ Christianæ authoritatem & magistrorum dedecorantis. Enimverò quemadmodum plura Beneficia in plures homines partitim dividere bonum & justum videtur & justitiæ distributivæ congruentius, non minùs, immò magis eidem justitiæ & utilitati publicæ convenire videtur si Beneficia quæ singulatìm possidentur, quorum prædia fructuosa & uberiora non solùm sufficiens victibus annuis, verumetiam redundans abundanter suppeditant, in plura dividerentur, ut non solùm fructus partitìm obtinerentur, sed onera & functiones divisìm doctis ac piis hominibus distribuerentur.

CAPUT XXI.

Explicatur Concilium Tridentinum & objecta contra multitudinem Beneficiorum ex eo assumpta diluuntur. Illustris Prosperi Fagnani in Curia Romana Prælati sententia nostra propitia vindicatur.

NIHIL in re Beneficiariâ, de multitudine dicendum superesse videtur, post Concilium Tridentinum, inquo judicio Decretorio causa finita, & omnibus numeris absolutum & diremptum negotium fuit. Quamobrem ferventiori studio qui efferuntur scriptores singularitati propitii, in hanc Beneficiorum consociationem quam defendimus, caput 17. sessionis 24. de reformatione, hujusce Concilii, proferre solent, quod jam discutiendum atque examinandum restat: ut nemini homini dubium subolere possit quin solitaria

Beneficiorum insociabilium multitudo & propter officia, functiones & residentiam prohibita sit. Hîc igitur Decretum Tridentinum exscribere non solùm opus, verùm etiàm necesse est. *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè sacris Canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos non deum decipientes ea quæ benè constituta sunt variis artibus eludere & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens præsenti Decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit ut in posterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: Quod quidem, si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat: liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non re-*

quirat

quirat, eidem conferri. Hæc non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia Beneficia tam sæcularia quam regularia quæcumque etiam commendata pertineant cujuscumque tituli & qualitatis existant. Illi verò qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias aut unam Cathedralem & etiam Parochialem obtinent, cogantur omninò quibuscumque dispensationibus aut unionibus ad vitam nonobstantibus unâ tantum Parochiali vel solâ Cathedrali retentâ alias Parochiales infra spatium sex mensium dimittere, alioqui tam Parochiales quam Beneficia omnia quæ obtinent ipso jure vacare censeantur, ac tamquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur. Nec ipsi antea obtinentes tutâ conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione prout summo Pontifici videbitur provideatur.

I. Consilium non aliud Ecclesiæ fuit quin perversum usum condemnaret, tam in Conciliis Calchedo-

nensi & secundo Nicæno prohibitum, quibus uni & eidem homini interdictum fuerat nè in duabus conscriberetur Ecclesiis propter inversum Ecclesiasticum ordinem, & officiorum ac munerum discrepantibus functionibus repugnantiam. *Cùm Ecclesiasticus ordo pervertatur quando unus* plurium *officia occupat Clericorum.* Quod quidem legibus Ecclesiæ nihilofficit, si Beneficia simplicia functionibus expertia nec residentiam exigentia, cum Episcopatu aut Canonicatu teneantur.

II. Concilium hac prohibitione potissimum digito monstrat patres purpuratos quos Cardinales vocant *etiamsi Cardinalatus honore fulgeant*. Quoniam ea ætate plures Episcopatibus multò pluribus potiebantur quod propter culpam & peccatum horribile ac pertimescendum maximè videbatur præter casus necessitatis, Insuper notat eos qui cùm opprobrio prædiis fructuosis Ecclesiæ

fruebantur *improbæ cupiditatis affectu* quorum unum abundanter victui honesto *viri probi* annuatìm sufficiebat.

III. Eâ de causâ Concilium rotunde decernit unum uni homini deinceps conferendum esse Beneficium. *Statuit ut in posterum unum tantum Benecium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honestè sustentandum non sufficiat, sivè honesto victui atque instructui Cardinalis, Episcopi, Canonici aut Curati sit impar, nihilominus aliud simplex sufficiens dummodò utrumque personalem non requirat residentiam eidem liceat conferri.* At verò quis sanæ mentis homo ex his manifestè non intelligat Concilii Tridentini approbatione fulciri Beneficiorum multitudinem quam tuendam recepimus, scilicet suis functionibus, nec residentiæ obligatione non repugnantium, quam insuper absque culpâ & peccato post positis causis cupiditatis & avaritiæ justo consilio &

bonâ mente obtineri posse defendimus. Tota hujusce quæstionis famosæ ratio, ac solutio devoluta est in Concilio ad mentem Didaci Laynez secundi præpositi Generalis Societatis Jesuiticæ quam refert Cardinalis Palavicinus tomo 3. historiæ Concilii Tridentini, libro 23. capite 3. pag. 709. de sessione 24. habita 2. Octobris anni MDLXIII. *Unicum uni Sacerdotium conferretur ubi esset sufficiens*, nec sufficientis rationem petendam esse ex nobilitate personæ, sed ministerii cui Sacerdotium destinatur: Nam Ecclesia non dirigitur ad ministrorum utilitatem, sed ministri diriguntur ad Ecclesiæ utilitatem. *Licere alicui plura Sacerdotia possidere cum Ecclesiæ emolumento. Exempli gratia, non desunt plures pastores idonei, aut cùm propter sanctitatis literarumque præstantiam magis unus prodesse potest quam plures.*

IV. Concilium legis latæ vim extendit non solum ad eos qui Beneficia Cathedralium Ecclesiarum obti-

nent, verùm etiàm alia quæcumque, ſive ſecularia, ſive regularia, tàm in commendam, quàm in titulum, adeoque planiſſimè conſtat mentem Concilii eſſe, ut quamdiù miniſter Eccleſiæ ex annonâ, & fructibus Beneficii ſufficiens habet victibus annuis conditionis honeſtæ, ſeù fovendæ amplitudini Epiſcopi, Canonici aut Curati, non debere ei aliud Beneficium conferri. Sed eò ſemper devolvitur difficultas ut defigatur & accurate ſtatuatur quod neceſſarium eſt ad efformandum ſufficiens victibus honeſtis, inſtructibus & ſupellectili Epiſcopi, Canonici aut Cutati, enimverò cum circumſpectâ ratione ſtatus & conditionis Paſtoralis teneatur Epiſcopus aut Curatus annonam ſuam in pauperum ſubſidium flagellare & impertire liberaliter, Scholas Epiſcopales quas Seminaria vocant ſuſtentare, noſocomia ædificare & dotare, egenos & pauperes Preſbyteros ſenio & labore confectos alere,

vestire, Parochiarum ruralium incolas amplificatis eleemosynis pascere, lites propriis sumptibus adversus reos & sontes Presbyteros agere. Hæc verò sine magnis & immensis sumptibus perfici non posse mihi persuadeo, nec puto Episcopum in usus ejusmodi suos proventus & fructus Beneficiorum effundentem locupletem, aut divitem reputari posse. Immò graves necessitatis morsus sentire non dubito adeoque difficiliter sibi comparare posse quod revera sufficiens sit sumptibus necessariis amplitudini Episcopali impositis.

V. Non dubito ab adversariis nobis objectum iri, definitionem Concilii Tridentini adversus pluralitatem Beneficiorum ab ipsâ Galliâ postulatam fuisse scilicet à Legatis Caroli noni Francorũ Regis anno MDLXII. qui reverâ in mandatis habuerunt ut postularent perfectam abrogationem omnis pluralitatis Beneficiorum sociabilium & insociabilium uti intelligimus

ex datis mandatis Legatis art. 14.&15. quæ incurrunt pag. 370. in adverſariis hiſtoricis illuſtrium Fratrum Petri & Jacobi Puteanorum Typis impreſſis Pariſiis anno MDCLIV. quæ ſic ſe habent XIV. *Unum tantum Beneficium uni conferatur, ſublatâ quod attinet ad pluralitatem compatibilium & incompatibilium differentiâ, quæ diſtinctio ut eſt nova & antiquis Decretis incognita, ita Eccleſiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit dentur autem regularia regularibus, ſæcularia ſæcularibus qui vero nunc duo plura ve poſſident, aut illud tantum retineant quod intra breve tempus elegerunt, aut in pœnas antiquorum, aut veterum Canonum incidant.* Et cumque res ſint ejuſmodi objectionem diluere nec arduum, nec difficile eſt. Enimverò de his mandatis in hiſtoria Concili Tridentini nulla mentio incurrit, nec ad ea Concilium ſpectaſſe credibile eſt. Quippè cùm in his interpoſtulanda à Concilio recenſetur Communio ſub utraque ſpecie articulo

18. *Antiquum illud Leonis & Gelazii Decretum de Communione ſub utraque ſpecie renovetur & extinctio reſignationum in favorem & commendarium*, ſeû fiduciarum quas Concilium non repudiavit immò confirmavit & recepit. Inſuper incogitabile videtur Legatos Galliæ in mandatis habuiſſe poſtulationem & rogationem rerum Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ manifeſtè repugnantium. Nam iidem Fratres Puteani Bibilothecæ Regis Chriſtiniaſſimi cuſtodes præfecti qui ejuſmodi adverſaria de Concilio Tridentino Typis excudi curaverunt, etiam publici juris fecerunt commentarium celebris & doctiſſimi nobilis Juriſconſulti Petri Pithæi de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ in quo num. 62. pag. 221. Edit. Pariſ. anni MDCLII. prodidit Epiſtolam Decretalem Alexandri III. Summi Pontificis Januenſi Epiſcopo ex qua intelligere facile eſt conſuetum fuiſſe & antiquum apud Gallos plura Beneficia etiam inſociabilia poſſidere. *Cùm non*

non ignores, inquit Alexander Papa III. *quod una Ecclesia unius debet esse Sacerdotis, mirabile gerimus & indignum si uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velis concedere & in Episcopatu tuo inducere consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ cum unum ad plura Beneficia recipiat, contra Sacrorum Canonum instituta, non comprobatur à nobis, licet non possit præ multitudine delinquentium emendari*. Habetur in collectione libro 3. capite 4. *cùm non ignores*, titulo 15. de præbendis. Præterea doctissimi Puteani hæc mandata publici juris non fecerunt ex autographo, cujus fides in suspicione falsi non posita sit, quodque præ manibus & in potestate haberent, sed ex apographo valdè dubio & suspiciosissimo jam publici juris facto & impresso Ripæ cum simplici approbatione Fratris Maximiliani Benjami, Cordigeri cucullati, Patavii fidei Inquisitoris. *Admissum & approbatum per Fratrem Maximilianum Benjamum, Cremensem, ad Minorum Conventum Patavii*

Inquisitorem. Præterea omittere non debemus Natalem Comitem in historiâ sui temporis hos articulos pro reformatione Ecclesiæ à Carolo nono suis legatis in mandatis præscriptos exscripsisse, sed truncos & corruptos plerisque in locis. Insuper dicti fratres Puteani, illustres & sinceri scriptores, observant se in primâ editione collectionis adversariorum historicorum, seû actorum ad Concilium Tridentinum pertinentium prodidisse Typis Cramoysianis Parisiis versionem Gallicam eorum articulorum in primâ editione postposito Autographo latino subrustico & nimis barbaro. Constat igitur clarissimè solitariâ Beneficiorum insociabilium propter functiones aut residentiam repugnantium multitudine, Concilium Tridentinum interdixisse ipsis præsertim Cardinalibus, quos, ne prætextu quidem commendarum, seû fiduciarum, posse suam amplitudinem excusare aut adumbrare permisit. Ve-

rùm incredibile videtur Galliam aut rogationibus petiisse aut jure postulasse judicium decretorium adversùs multitudinem Beneficiorum indiscriminatìm omnium. Quippè cùm omnes homines in Gallia perspectum habeant antiquum usum multitudinis Beneficiorum ex Decretali suprà relatâ Alexandri III, quam assumpsit Petrus Pithœus ad concludendum jus possidendi plura Beneficia esse in libertatibus & immunitatibus Ecclesiæ Gallicanæ positum, tractatu de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ numero 70. pag. 221. publici juris facto Typis Cramoysianis curâ & studio Illustrissimorum fratrum Puteanorum Parisiis anno MDCLII. Eâ de causâ cùm legatus Galliæ postularet à Summo Pontifice Pio IV. ut de re Beneficiaria singularitas definiretur in Concilio Tridentino, Beatus Papa non inficetè respondit, uti refert Cardinalis Palavicinus historiæ Concilii Tridentini libro 18. capite 17.

pag. 234. ad annum MDLXII. *Cæterum Galli intento animo ad impetrandam moram tantisper dùm Lotharingus accederet se leniter gerebant. Quare cùm ipsis traditi fuissent Canones ad reformandos mores summopere eos commendarant, tantummodò desiderantes, nè per quamcumque limitationem Sacerdotiorum multitudo permitteretur; quamquam de hoc eodem postulato paulo post subridens Pontifex Oratori Gallico dixerat, valdè idoneum ad illud promovendum fore Lotharingum, qui plurima Sacerdotia possidebat trecentis scutorum millibus inde provenientibus in annos singulos; nos verò, adjecit Pontifex*, unicum obtinemus eoque contenti sumus.

IV. Documenta, quorum accessionibus librum ritualem cumulavit S. Electensium Episcopus Nicolaus Pavillonius, manifestè convincunt sibi non persuasisse prohibitam esse à Concilio Tridentino Beneficiorum multitudinem, immò verò admissam & bene temperatam fuisse, ex

tractatu de Beneficiis nobis intelligendum reliquit pag. 461. edit. 4. Parisienſ. apud Guillelmum à Pratis anno MDCLXXVIII. *In quo*, inquit, *differunt ſecundum Concilium Tridentinum Beneficia quæ vocantur compatibilia ab incompatibilibus? Non in eo* reſpondet, *conſiſtit hoc diſcrimen, quod plures ſibi falsò perſuadent, ſcilicet quod liceat cumulare ad libitum plura Beneficia, quæ compatibilia nuncupantur, ſive quæ ad accuratam reſidentiam non adſtringunt: ſed in eo quod poſſint ejuſce generis plura poſſideri, cùm unum & ſolitarium ſingulatim non ſuppeditat quod ſufficiens eſt victibus annuis honeſti viri: Cum è contra ejuſmodi ratio locum non habeat in Beneficiis quæ incompatibilia dicuntur. Quippe cum hujuſce generis unicum & ſolitarium poſſit obtineri:* Propter repugnantiam reſidentiæ & functionum quas in diverſis locis poſſeſſor obire non potis eſt. Sed iterum reponit Sanctiſſimus Epiſcopus, *cum Concilium non prohibeat quominùs duo Beneficia teneantur reſidentiâ &*

assiduitate carentia, cum unum non sufficit ad victum honesti Sacerdotis aut viri Ecclesiastici seu Clerici, ex qua lege, norma aut præscriptione poterimus internoscere quod revera sufficiens erit honesto viro pro instructibus & annuis sumptibus? Ut propriis blanditiis, respondet iterum, *nemo homo seipsum fallat aut ludificet, non solùm opus, sed necesse erit deditâ operâ petere consilium à viro quodam Ecclesiastico virtute prædito, prudenti & liberali, præsertim ab Episcopo qui ad mentem Evangelii & Sancti Pauli nihil veri dicere timeat; nihil falsi dicere audeat. Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus.* Jam verò si Episcopum consulere potissimùm oportunum & necessarium est, maximè in eos referendum esse Episcopos non dubito, qui ejusmodi documentis ritualibus, approbatione laudibus infinitis expletâ, subscripserunt. Istiusmodi enim approbatores testes sunt veritatis omni exceptione majores, qui Ecclesiam Gallicanam quam à majoribus acceperant sum-

mo ſplendore virtutis & doctrinæ florentiſſimam reliquerunt, fere omnes plura Beneficia ſibi comparare non timuerunt, non aliâ dubio procul ratione quàm quia Epiſcopatus ſufficientes proventus victibus annuis honeſtis & moderatis non ſuppeditabant. Primus Approbatorum Ritualis Electenſis fuit magnus Archiepiſcopus Senonenſis Ludovicus-Henricus de Gondrin, qui in magno Chriſtianæ fortitudinis, pietatis & religionis odore obiit 12. Kalendas Octobris anno MDCLXXIV. & in vivis quandiù permanſit, præter Archiepiſcopatum Senonenſem habuit Abbatias Sancti Petri de Calmis & Sancti Remigii in Suburbio Senonenſi cum penſione annua ex Prioratu Sancti Orentii in Urbe Auxitana. Secundus fuit Franciſcus Fouquet Archiepiſcopus Narbonenſis cui conſociaverat Abbatiam Sancti Severi. Tertius, Franciſcus Mallier Epiſcopus Trecenſis & Abbas Sancti Petri Melodu-

nensis. Quintus, Fœlix Vialart Episcopus Catalaunensis, Abbas de Circumcellis in Diœcesi Senonensi.

Octavus, Gilbertus de Choiseul Episcopus Convennarum, Abbas Beatæ Mariæ de Bulencaria & Sancti Martini Trecensis. Nonus, Henricus Arnauld Episcopus Andegavensis, Abbas Sancti Nicolai. Quintus decimus, Henricus de Laval Episcopus Rupellensis, Decanus Sancti Martini Turonensis. Sextus decimus, Tussanus Fourbin de Janson Episcopus Massiliensis, nunc Belvacensis, Abbas Pruliensis & Corbeiensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Septimus decimus, Carolus de Bourlon Episcopus Suessionensis, Abbas Chartovoræ & Prior de Vouton in Diœcesi Senonensi. Undevigesimus, Franciscus de Clermont de Tonnerre Episcopus Noviodunensis, Abbas Sancti Martini Laudunensis & Sancti Michaelis Tornodorensis. Vigesimus, Ludouicus Fouquet Episcopus Agatensis, Abbas

Sorresiæ & Vezeliacensis. Franciscus Berthier Episcopus Rivensis, Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ Tolozanæ. Quis sibi persuadeat viros tot meritis & virtutibus illustres hæc documenta Ritualis Electensis approbasse, atque adeò Beneficiorum multitudinem improbasse, sibique persuasisse eo restringi quod sufficiens est victibus annuis Episcopi & Cardinalis ut cùm Sancto Apostolo dicerent *habentes alimenta his contenti simus.* Immò verò credibilius est constituisse illud sufficiens habita ratione dignitatis & sublimitatis gradus Ecclesiastici & muneris impositi, sive Episcopi, sive Cardinalis, Canonici aut Curati, uberioremque annonam circumspectis conditionibus, sed non æquabilem majoribus & infimis assignasse & distribuisse.

VII. Nostræ ætatis celeberrimus Jurisconsultus Prosper Fagnani, in Curiâ Romanâ Prælatus dignissimus, Commentariis doctissimis Decreta-

les omnes Pontificum Romanorum explanavit, in quibus nemo melius de multitudine Beneficiorum mentem Concilii Tridentini nobis aperuit, ſcilicet tom. 2. ad Decretalem *jam dudum*. Ibi enim poſtquam decem diſcrepantes Sententias Caroniſtarum dilucidè expoſuit, de re Beneficiariâ ſeu multitudine, defendit nervoſè finitam fuiſſe hanc cauſam in Concilio Tridentino, novi juris inſtitutione quo ſancitum eſt ne quis deinceps præter unum Beneficium, victibus annuis honeſti viri ſufficiens, alterum ſibi comparare niteretur. Sed cùm, inſuper illud, alterum aut tertium poſſe obtineri vi diſpenſationis ſeu immunitatis à ſummo Pontifice conceſſâ fateatur, immò doceat, eamque immunitatem pro juſtâ & legitimâ cauſâ dari debere non dubitet, ſeu quæ nec avaritiæ nec ambitioni patrocinetur; magnus ille Juriſconſultus ſententiam quam defendimus ipſe tuendam recipit, ſci-

licet posse tutâ conscientiâ & absque culpâ & peccato plura Beneficia sociabilia, compatibilia vocant, nec legibus residentiæ, nec munerum functionibus repugnantia, conjunctìm & agglomeratìm ab eodem homine possideri. Revera tamen fateri necesse est clarissimum Fagnanum inter illa Beneficia de se sociabilia quæ indigitavimus, cùm tertium aut quartum accessione primum cumulat vi dispensationis Pontificiæ, non desinere post Concilium Tridentinum recognoscere quandam repugnantiam inter hæc Beneficia, quam vocant incompatibilitatem *numeri* & non *servitii*, undè concludit non posse plusquam duo possideri, etiam à Patribus purpuratis, quamvis Cardinalatûs honore fulgeant. Sed cùm integram hanc difficultatem ad hanc quæstionem solvendam devolvat, *an habenti in eadem Ecclesia Canonicatum & Officium quæ ex fundatione compatibilia sunt, Episcopus alterius Ecclesiæ Canonicatum*

contulerit, an collatio ſecundi Canonicatus ſit irrita necne? Et concludat juxta Decreta Sacræ Congregationis neminem poſſe hoc tertio Beneficio muniri aut exornari ſine diſpenſatione ſummi Pontificis, quam non dubitat poſſe dari, nullus dubitandi locus relinquitur quin magnus ille Juriſconſultus crediderit, ſeû exiſtimaverit poſſe plura Beneficia, nec functionibus, nec reſidentiæ legibus repugnantia, poſt Concilium Tridentinum cum diſpenſatione ſummi Pontificis tutâ conſcientiâ poſſideri.

CAPUT XXII.

Difficultates objecta à XIII. *Doctoribus recentioribus Facultatis Parisiensis adversus Beneficiorum multitudinem in consultatione datâ postridie idus Julias anni* MDCXCVI. *temerè inscriptâ & typis expressâ sub titulo decisionis Sorbonicæ, diluuntur.*

I. IN animo & voluntate S. Ludovici Francorum Regis sanctissimi semper fuit ut uni homini unicum Beneficium conferretur: uti intelligimus ex consiliis quæ natantibus in morte oculis filio suo Philippo dedit quæque habentur præscripta Tomo v. Historicorum Franciæ Quercetani pag. 292. sub hoc titulo. *Gesta S. Ludovici IX. Francorum Regis descripta per Fratrem Guillelmum de Nangiaco Monachum S. Dionysii in Francia*, in quibus hæc verba incurrunt: *Beneficia Ecclesiastica personis idoneis dona, de Con-*

filio spiritualium virorum & qui non habent aliud Beneficium.

RESPONSIO.

Respondere facile est, S. Ludovicum hoc consilium suo filio dedisse ad mentem & sensum Facultatis Parisiensis definitione facta, si revera unquam fuit, sub Pontificatu Guillelmi Alverni Parisiensis Episcopi anno MCCXXXVIII. quæ, ut suprà ostendimus capite XIV, spectavit solitaria Beneficia functionibus annexis & residentiæ legibus repugnantia & insociabilia. Res igitur à Sancto Ludovico suo filio commendata est, ne Canonicatum altero Canonicatu condensaret aut Curam Pastoralem alterâ Curâ. Insuper non tam mandatum quàm consilium est. Eadem monita seû consilia incurrunt in rebus gestis S. Ludovici, quas scripsit monachus anonymus S. Dionysii, ex quibus valde credibile est Guillelmum de Nangiaco sua gesta exscripsisse seû corrasisse. Hæc enim Monachus Ano-

nymus magis amplificavit & præsertim consilium de collatione Beneficiorum, ad præbendas & canonicatus conceptis verbis & deditâ operâ restrinxit. *Care fili*, inquit S. Ludovicus pag. 398. Tomi 5. Historicorum Quercetani *Doceo te quod Beneficia sanctæ Ecclesiæ quæ conferre habebis, offeras bonis magno consilio proborum hominum, & videtur mihi melius quod tu conferas illis qui nullas habebunt Præbendas quam aliis; si enim benè quæris, satis invenies de illis qui nihil habent, in quibus erit benè positum.* Hæc nec vidisse nec legisse Doctores tredecim, qui huic consultationi fervore devotionis subscripserunt, incredibile & incogitabile mihi videtur. Porrò sanctus Rex obiit anno MCCLXX. die crastina festi Sancti Bartholomei, quadraginta duobus annis elapsis, post definitionem Facultatis Parisiensis & quinquaginta quinque post Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. Ex quibus planissimè constat

quibusdam in casibus & circumspectis circunstantiis plura Beneficia posse etiam suis functionibus & residentiæ legibus interse repugnantia conjunctìm possideri. *Circa sublimes & literatas personas quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari.* Sed ut cumque res sit, cum Beneficiorum multitudinem tuendam non receperimus insociabilium, seû eorum quibus functiones annexæ cum residentiâ remanserunt, consilia S. Ludovici nostræ sententiæ valde propitia sunt, & eam vehementer confirmant.

II. Objicitur à Doctoribus Concilium Tridentinum sessione 24. capite 17. in quo jus novum orbi Christiano datum existimant, quo Beneficium simplex sibi procurare nihil prohibet, cum primum sufficiens non suppeditat victui & instructui ac supellectili honesti viri. Insuper addunt hoc jus & hanc facultatem esse con-

cessam

cessam non judicio decretorio & postremo, sed ad fiduciariam apparationem severioris disciplinæ opportuno tempore ab Ecclesiâ instaurandæ : unde concludunt Beneficiorum multitudinem semper vetitam fuisse & prohibitam remanere, brevi aliquo tempore tolerandam, sed continenti prorsus evellendam. *Lenioribus*, inquiunt, „ *remediis curationem aggressum est Concilium, spe illectum fore ut summi Pontifices* remedia fortiora *& efficaciora admoverent, cum ea sustinere posset ordo Ecclesiasticus. Statuit ut in posterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Præstereà dicunt eâ conditione subjectâ Cardinalem Lotharingum ob hanc reformationem Concilio Tridentino annuisse, „ quod intelligitur ex protestatione

quam nomine Regni Franciæ habuit, accessionibus cumulatâ quorumdam articulorum de rebus quæ ampliorem reformationem desiderare videbantur, inter quas recensetur illud caput XVII. sessionis 24.

RESPONSIO.

Ejusmodi protestationem & declarationem Cardinalis à Lotharingia habemus inter acta, in collectione memorabilium Concilii Tridentini quam illustres fratres Puteani, Regi Christianissimo à Bibliothecis, publici juris fecerunt & incurrit pag. 571. Editionis quartæ factæ Parisiis apud Cramoysi. anno MDCLVI. sed perperàm Doctores consultores asserunt Cardinalem Lotharingum ea conditione subjectâ huic reformationi annuisse à Concilio sancitæ. Quippè hoc intelligere nemo potest ex conceptis verbis protestationis nomine gallorum deditâ operâ factæ, cum in articulis sequentibus solùm mentio fit Canonis quinti & vigesimi sessionis

24; de capite verò 17. ne verbum quidem incurrit, de quo jam anquirimus. De cætero incredibile & incogitabile videbitur omni homini qui de potestate sensus communis non excesserit, Cardinalem Lotharingum testatò reclamasse seû intercessisse quominus fieret statutum multitudini Beneficiorum propitium, cum ipse præsens Concilio esset, Cardinalis tituli Sancti Apollinaris, Archiepiscopus Remensis, Episcopus Metensis, Abbas Cluniacensis, Sandionysii in Franciâ, Fiscani, Sancti Remigii Remensis, Majoris Monasterii, Sancti Urbani Dervensis, & hac immersus redundantiâ interiit, undecim annis exactis, post Concilium Tridentinum, Avenione anno MDLXXIV. Ferè omnes Episcopi Galli, qui cum Lotharingo huic Concilio intererant, eadem Beneficiorum multitudine laborabant, non quidem tam incredibili & prodigiosâ.

III. At verò dicunt consultores,

» Beneficiorum multitudinem & con-
» sociationem non solùm esse contra
» canones, verùm etiàm contra jus
» naturale, ut multi censent Theo-
» logi, post Sanctum Thomam, &
» ipsum jus divinum. Quamvis enim
» de solis Præbendis seù Canonica-
» tibus mentionem faciat S. Doctor,
» rationes firmas plerasque prodidit
» contra omnem Beneficiorum cujus-
» cumque generis multitudinem.

Responsio.

Nullus Canon Beneficiorum multitudinem in Ecclesiâ prohibuit præter eam quæ redundantia & superfluitas potest reputari, seû quæ ex insociabilibus & propter suas functiones & residentiam debitam repugnantibus exsurgit *quando unus plurium officia occupat Clericorum*, Inquit Concil. Trident. sessione 24. capite 17. non enim potest dilucidius functionum & residentiæ repugnantia indigitari. Aliam aut discrepantem sententiam non inierunt Theologi se-

quaces S. Thomæ, quem constat conceptis verbis de solis Præbendis mentionem fecisse, seû Beneficiis quibus functiones annexæ & obligatio residendi in integrò permanserunt. Rationes verò quas contra multitudinem prodidit, spectare aut attinere cujuscumque generis Beneficiorum coagmentationem, falsum & supervacaneum est sibi persuadere. Eâ enim ætate Beneficia quæ vocantur simplicia, aut per fiduciam seû commendam imposita, & adepta, nondum in mentes humanas incurrerant, nec erant Ecclesiæ autoritate probata aut confirmata.

IV. Jus naturale violatur, in- « quiunt, & justitia distributiva, cum « plures Ecclesiæ Ministri & Sacer- « dotes, quibus causa egestatis virtus « esse videtur, algent & graves sor- « descentis necessitatis morsus susti- « nent, & alii ventres otiosi, parùm « aut neutiquam laborantes, omni bo- « norum copiâ & uberioris annonæ «

» fructibus jucundissimè & abundan-
» tissimè explentur & superfluunt.

Responsio.

Non magis Beneficiorum multitudine quam unitate seù singularitate, hoc peccato violati juris & justitiæ distributivæ inquinantur homines. Si quis enim singulatìm possideat Beneficium uberioris annonæ. V. G. Abbatiam S. Dionysii, aut S. Germani pratensis, Parisiensis, quo faciliùs suppeditaretur quod sufficiens est victibus annuis centum virorum Ecclesiasticorum, quàm uni tribus aut quatuor Prioratibus exornato, V. G. Abbatiâ S. Pauli Senonensis aut bassi fontis in diœcesi Trecensi & Prioratu S. Lupi Dauxon; in illo Abbate S. Dionysii plus violaretur justitia distributiva quamsi quatuor aut quinque Beneficia tenuis proventus possideret. Non enim plus laboris aut servitii incumbit Abbati S. Dionysii quàm Abbati Santi Pauli Senonensis aut Vallis crescentis. Non ergo Be-

neficiorum multitudine violatur justitia distributiva, sed proventuum fructuosorum excessu & pinguiori ubertate annonæ, cujus mensura omnibus Beneficiis & Sacerdotiis impar & inæqualis est. Ex ejusmodi difficultate & objectione consectaneum manifestum erumpit, scilicet, reditus & proventus omnium Ecclesiæ ministrorum debere esse æquales & summatìm ejusdem mensuræ, quod quidem nemo homo tuendum recipere velit & negotium Ecclesiæ non tractabile facesseret. Insuper illud incommodum quod ex juribus violatis erumpit, scilicet, cum immerito homini, acediâ & veterno consopito, otioso ventri, opes & fortunæ incredibiliter conferuntur accessionibus Beneficiorum uni homini collatorum, cum alii qui portant pondus diei & æstus algent & frigore fameque pereunt, non magis spectat bonorum Ecclesiæ distributionem quam eorum quæ jure hereditario possi-

dentur aut industriâ & arte comparantur. Infinitus quippè est hominum numerus, qui postpositis virtute & meritis florenti fortunâ excellunt & præstant, muneribus Reipublicæ majoribus exornantur; cum alii virtute & doctrinâ excellentes gravissimis fortunæ vulneribus percussi sortem indignissimam & miserrimam subeunt. Hæc igitur injustitia distributionis non refundenda est in Beneficiorum multitudinem, sed in bonorum redundantiam & superfluitatem quæ in singularitate pinguis Sacerdotii & uberioris prædii capitalius est irritamentum libidinis & avaritiæ, quàm in multitudine & conjunctione plurium magis exigui & tenuioris proventus.

V. At inquiunt Doctores in prædicta consultatione, ut hæc deinceps vitaretur legum dissolutio & morum prolapsio erumpens ex multitudine Beneficiorum, Concilium Aquisgranense sub Ludovico Pio anno DCCCXVI.

DCCCXVI. decrevisse, omninò evellendam esse Beneficiorum multitudinem, reputans contra rationem, scripturas & traditionem sanctorum Patrum, hominem Ecclesiasticum parum aut neutiquam rebus Ecclesiæ conducibilem, majorem mercedem ab Ecclesia recipere multò pluribus aliis qui omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Ecclesiæ defensione defigunt & diligenter locant & toto vitæ tempore in ea non officii solùm fructum sed & pietatis & religionis laudem quærunt.

RESPONSIO.

Solâ lectione autographi hujusce Concilii objectionem ex eo assumptam à Doctoribus, retaliare facile est & ostendere ab iis mentem Concilii neutiquam perspectam fuisse. Quippè luce meridianâ clarius patet, eò loci Concilium solitarios Canonicos spectare, apud quos perversus usus irrepserat dandi pinguiorem an-

nonam opus Dei negligentibus in choro quam vigilantibus & magis assiduis, suis que officiis satisfacientibus. Hæc sunt verba concepta Concilii Aquisgranensis anni DCCCXVI, habiti, anno 3. Imperii Ludovici Pii, oculis Doctorum iterùm subjicienda; nam prima vice ad ea intelligenda mentem nec appulisse nec applicuisse videntur. *Solet in plerisque Canonicorum congregationibus irrationabiliter atque indiscretè fieri, ut nonnulli clerici, qui & divitiis affluunt aut parum aut nihil utilitatis Ecclesiæ conferunt, majoremque cæteris divinum strenuè peragentibus officium annonam accipiunt, cum ita fieri debere nusquam nec in autoritate scripturarum nec in traditionibus Sanctorum Patrum possit quoquomodo sancitum reperiri. Sed quia hujuscemodi factum nulla autoritate fulcitur, sed magis gulæ, immò avaritiæ causa constat esse inolitum, restat ut falce justitiæ resecetur & æquitatis censurâ ab iisdem locis in quibus fit prorsus abdicetur. Est nempe*

rationabile justumque coram Deo & hominibus ut una quoque Canonica congregatione *à minimò usque ad maximum, cibum & potum omnes æquabiliter accipiant, hi videlicet qui in numero Canonicorum fuerunt admissi.* Jam verò quis ex conceptis verbis hujusce capitis non intelligat incogitabilem eam fuisse patribus Beneficiorum multitudinem, quam eâ ætate tritam & Reipublicæ Christianæ usu receptam fuisse & approbatam manifestissimè ostendimus suprà capite 5. infinitis exemplis, præsertìm Alchuini, Diaconi, præceptoris Caroli Magni, Angelramni Episcopi Metensis & Hilduini Abbatis Sancti Dionysii in Francia : Quibus neutiquam in religionem venit plures Abbatias possidere & nomine pietatis ac doctrinæ sibi famam perennem comparare non destiterunt.

VI. Insuper objiciunt, contra jus divinum victibus necessaria denegari iis qui altari serviunt, ex Sancti

Pauli Epiſtolâ II. ad Corinthios capite 9. verſ. 9. *qui altari deſerviunt de altari participant.* » Ita & Dominus » ordinavit iis qui Evangelium an- » nunciant de Evangelio vivere.

Responsio.

Hæc probant Epiſcopos & alios quoſcumque Beneficiorum collatores ea debere viris juſtis, doctis, piis & idoneis conferre ad verbum Dei prædicandum & adminiſtranda ſacra fidelibus juxta regulam à Sancto Paulo promulgatam *qui bene præſunt Presbyteri duplici honore habeantur.* Hæc Beneficiorum multitudinem non attinent, immò ei patrocinari videntur, ſi jam Beneficio primo exornatus, dignior ſit & aptior ad regimen ſecundi aut tertii. Plura enim conferre homini digno melius eſt quam unicum & ſingulare indigno. His religionis officiis bene ac ſapienter ſatisfaciunt plerumque noſtrates Galliarum Epiſcopi, qui cùm ſuis Epiſcopatibus Abbatias & Prioratus non

renuunt habere ut commodiùs vivere valeant & magis sufficiens victibus annuis & instructibus necessariis procurare adeòque honorem amplitudinis sustentare

VII. Dicunt præterea ordinem naturæ interverti, si unum membrum ex substantia corporis alescat cæteris algentibus & sanie taboque languescentibus. Quod contigit iis qui cùm plura possideant Beneficia omnem viam comparandi aliis obstruunt.

Responsio.

Qui plura habent Beneficia proventûs tenuis & parum fructuosi, minus viam obstruunt comparandi victùs sufficientis quàm qui unicum uberioris annonæ ac reditùs pinguioris obtinent. Igitur qui singulatìm possidet Prioratum V. G. Sancti Martini à Campis, Parisiis, aut Charitatis in diœcesi Altissiodorensi, magis refertur ad membrum ex substantia corporis trahens alimenta, reliquis in

aviditate & languore permanentibus, quàm qui plura tenuioris reditus possidet Beneficia V. G. Canonicatum Parisiensem cum Prioratu quodam tenui & exiguo & iis utitur & fruitur in sumptus pios & usus honestos & Ecclesiæ conducibiles.

» VIII. Dicunt Doctores cultum » divinum minui & numerum mi» nistrorum hâc multiplicitate Be» neficiorum & consociatione in eo» dem homine singulari; quod con» tra jus divinum non potest non » fieri.

Responsio.

Hoc incommodum in solâ multitudine Beneficiorum residentiam exigentium est pertimescendum, & quibus functiones quædam annexæ remanserunt, quales sunt Episcopatus, Curæ Parochiales & Canonicatus. Quoad Beneficia enim simplicia & in commendam collata, scilicet Abbatias & Prioratus qui omni functione carent & vacant regimine Mo-

nachorum, difficile esset recognoscere & circumspicere rationes quibus eorum multitudo cultui divino officiat & ministrorum numerum decurtet. In hunc casum potiùs incidere videtur sacrorum ordinum multitudo plus vetita & prohibita à majoribus nostris quàm Beneficiorum consociatio; quippè cum semel quis ordine Diaconatùs aut Subdiaconatùs initiaretur, reliquo vitæ cursu in sui ordinis ministerio permanebat nec ad Diaconatum aut sacerdotium præter servitium & utilitatem Ecclesiæ poterat promoveri, ut observavit Gentianus Hervetus in libro de reformandâ disciplinâ Ecclesiasticâ. Quæ cùm ita sint manifestè consequitur multitudinem ordinum sive aggregationem Subdiaconatùs, Diaconatùs & sacerdotii plus minuere cultum divinum aut detruncare numerum ministrorum quàm multitudinem Beneficiorum; quod cum sit absurdum, quàm vanum &, friabi-

le ſit argumentum Doctorum quis non intelligit?

IX. Uno verbo jus divinum & naturale violari objectant Beneficiorum multitudine, occaſione datâ & ex iis erumpente fovendi vitia libidinis & avaritiæ, ac locum dandi effuſæ hominum intemperantiæ, ſtudiorum ac ſcientiarum neglectui, quibus viri Reipublicæ Chriſtianæ conducibiles & neceſſarii effieri & formari poſſent: addunt etiam jura manium violari & teſtamentorum fidem frangi, impediendo quominùs obtemperetur voluntati fundatorum Beneficiorum ejuſmodi, qui bona ſua Eccleſiæ liberaliter impenderunt, eâ mente & conſilio ut plures miniſtri in ſervitium Eccleſiæ ſuſtentarentur, victibuſque eorum neceſſaria ſuppeditarentur.

RESPONSIO.

1°. Supervacaneum eſt dicere multitudinem Beneficiorum ſociabilium ſeû propter functiones aut reſiden-

tiam non repugnantium, occasionem & locum dare fruendæ libidini aut avaritiæ atque effusæ hominum intemperantiæ potiùs quam unicum & singulare Beneficium pinguioris annonæ & uberioris proventùs : quod de se majus est irritamentum ambitionis & avaritiæ, quam duo vel tria tenuioris reditus & exigui vel moderati proventùs. 2°. Falsum est hoc incommodum ex multitudine exoriri, quod locum det neglectui scientiarum & studiorum. Quippè cum Ecclesia hac multitudine utatur & operæpretium faciat viris literatis permittatque plura possideri, cum unum quod sufficiens est victibus annuis non suppeditat : ut patet ex Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio tertio. *Circa sublimes & literatas personas quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ cum ratio postulaverit per sedem Apostolicam poterit dispensari.* Tertium incommodum quod exoritur ex violatis juribus fundatorum &

pessumdatis testamentis, quæ *nemo*, ut inquit S. Paulus, *superordinat*, magis applicata mente debet reputari. Cùm enim ea imposita conditione, bona sua Ecclesiæ legaverint ut plures ministri multitudine Beneficiorum alerentur & sustentarentur, incredibile est Ecclesiam tot tantaque mala tolerasse. Impii enim est animi & nihil de immortalitate cogitantis, nec quicquam eorum quæ futura sunt sentientis testamenta commendationesque morientium non curare. Interit omne jus omnisque potestas si vivi neglexerint imperia mortuorum. Nullus dubitandi locus relinquitur quin hæc verissima sint & omnis suspicionis expertia. Sed cùm ex ritu Christianorum benè ac sapienter præsumatur fundatores concordi mente & corde cum Ecclesia semper fuisse, ejusque votis ac desideriis piam voluntatem aggregasse, ejusque autoritatem & potestatem in consensu audientium esse positam

perſpexiſſe, infinitis caſibus contingere opus eſt ut Eccleſia mortuorum voluntatem explicet & codicillares clauſulas ſæpè in melius legata mutando penetret. Infinita ejuſmodi viciſſitudinum exempla referre facile eſt. Hujus aſceſis vi ac virtute Beneficia in commendam abſque culpâ & peccato poſſidentur à viris ſcientiâ & pietate inſignioribus, contra concepta fundationum verba: nemini enim homini in mentem venit inſtituere Beneficium in commendam. Abbatiæ omnes & Prioratus erecti & inſtituti ſunt ad regimen Monachorum, quamvis hodiè à ſacerdotibus piis & doctis, omni monachatùs voto & ſervitute liberis teneantur. Immò ab ipſis fæminis Abbatiæ ad uſum virorum fundatæ poſſidentur. A viris & Epiſcopis, per conſociationes ſeû uniones Canonicas, pro fæminis inſtitutæ habentur. Hæc enim omnia mentibus & conſiliis fundatorum vehementer repugnare viderentur

nisi Ecclesia, prætcrquàm quod scit alia tempora alios mores postulare, ab iis, suis jussibus & voluntati obtemperatum iri sperasset & confidisset. Absit igitur hoc à virtute & dignitate Reipublicæ Christianæ malum, ut ad ejusmodi vitia & violanda jura mortuorum confugiat, quoties omnibus rationibus subductis bona consilia in meliora mutat, & in re Beneficiariâ tot ab origine constituta, circumspectis locis, temporibus, causis, & casibus firmata, majorum voluntate penetratâ & explicatâ revellit.

CAPUT XXIII.

Diluuntur difficultates propositæ à Matthæo Larroquano superstitionis Calvinianæ Ministro, in adversariis sacris Lugduni Batavorum impressis anno MDCLXXXVIII.

Cum majores & præcipuæ difficultates à Ministro propositæ, adversus multitudinem Beneficiorum, incurrant inter eas, quas capite quod antecessit diluimus, Doctorum tredecim qui hanc causam supercilio non quidem Sorbonico, sed plusquam decretorio definiverunt: ad hujusce diversæ partis scriptoris consultationem aggredi supervacaneum videbitur. Attamen, cum ea quæ revera prodidit non sint penitùs ommittenda, diluere hoc capite non solùm opus, verùm etiam necesse est, ea saltem quæ Doctores Parisienses prætermittenda censuerunt.

1°. Minister profert caput quintum Concilii Toletani sexti decimi, nonis Maii celebrati æræ communis anno DCCCXXXI. hoc est anno Christi DCXCII. Ex quo prohibitam fuisse Beneficiorum multitudinem intelligere non difficile videtur. *Sed & hoc necessariò instituendum delegimus ut plures Ecclesiæ uni nequaquam committantur presbytero : quia solus per totas Ecclesias* (putò legendum *tot*) *nec officium valet persoluere nec populis Sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere : ea scilicet ratione ut Ecclesia quæ usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem ; quæ verò minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur Ecclesiis. Si quis sive Episcoporum hanc nostram* INSTITUTIONEM *parvi penderit & quippè ex inde temerandam crediderit, duorum mensium spatiis se noverit excommunicatione multari : Ita nempe ut postquam ab hoc excommunicationis interdicto ad ordinis sui remanserit locum, cunctas hujus Canonis sanctio-*

nes omnibus modis studeat adimplere.

Responsio.

Luce meridiana clarius patet hoc Canone coagmentationem seû multitudinem Beneficiorum insociabilium & Curam animarum habentium esse prohibitam, quippè cum ea tantum modò spectet Concilium Beneficia quæ solis presbyteris possunt conferri *uni nequaquam committatur presbytero* : & quorum officiis unicus & solitarius homo satisfacere nequit. *Quia solus per tot Ecclesias aut officium valet persolvere, nec populis Sacerdotali jure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere.* Hæc enim concepta verba quid significant ? Nisi Pastoris officia & munia, quæ in sacramentorum administratione & verbi divini prædicatione consistunt & quibus solitarius presbyter in diversis locis satisfacere neutiquam potest. Hanc Beneficiorum insociabilium multitudinem tuendam hac lucubratione non recipemus, quibus Eccle-

siasticæ functiones permanserunt annexæ, cum assiduitatis in loco seû residentiæ obligatione. Cæterum observare necesse est ea ætate Concilii sexti decimi primulùm inolevisse in Ecclesiis Hispanicis hanc disciplinam contra multitudinem Benficiorum, ut ex his verbis intelligitur *instituendum delegimus* & *institutionem nostram*, adeòque ignotam fuisse aut neutiquam intellectam de multitudine Beneficiorum usque ad annum DCXCIII. Christi, Concilii Calchedonensis sanctionem, dequa mentionem fecimus suprà capite IX. Ad alium discrepantemque sensum traduci non potest regula Canonicorum Crodogangi, Episcopi Metensis, quam assumpsit Minister superstitionis Calvinianæ, tempore Pipini & Caroli Magni, in qua capite 67. hæc verba leguntur. *Presbyter non ampliùs quàm unam Ecclesiam habeat sicut & vir unam uxorem.* Ostendimus enim suprà cap. 3. 4. 5. his temporibus, justis & legitimis

timis de causis, usu receptam fuisse multitudinem Beneficiorum, etiam insociabilium. Idem dici necesse est de Concilio Nannetico his temporibus suppari aut æquali, inquo eadem verba incurrunt Canone VIII. tom. 3. Conc. Gal. P. Sirm. p. 603. *Sicut enim Episcopus non potest habere plus quam unam civitatem & vir unam uxorem: ita presbyter unam tantum Ecclesiam. Itaque nullus presbyter plures præsumat habere Ecclesias.* Verumtamen ex hujusce Canonis continenti oratione intelligimus, potuisse hominem plura non repudiare Beneficia, cum per Vicarios officiis Beneficiorum satisfacere non erat ἀδύνατον, etiam insociabilium seû ad residentiam obligantium. Hæc enim ex restrictìm conceptis continuis Canonis VIII. verbis intelliguntur. *Nisi fortè alios presbyteros sub se in unaquaque habeat, qui nocturnum atque diurnum officium solemniter adimpleant & missarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis.* Eadem penè res incurrit in

codice Capitularium Caroli Magni lib. I. cap. 92. *Ut una quæque Ecclesia suum presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit.* Alius sensus induci non potest Canoni 73. libri VI. Capitularium Caroli Magni, quod manifestè spectat Curas Parochiales seû Beneficia ad residentiam obligantia. *Placuit omni Synodali conventui ut nullus presbyterorum ampliùs quam unam Ecclesiam sibi vindicare præsumat, quia sicut quisque sæcularis non ampliùs quam unam habere debet uxorem; ita & unusquisque presbyter non ampliùs quam unam habere debet Ecclesiam.* Concilium sextum Parisiense anni DCCCXXIX. non alium præ se fert sensum, quippè non indigetat præter presbyteros sive pastores & Parochos Canone XLIX. pag. 515. tom. 2. Concil. Galliæ Sirmondi: *Sicut unicuique civitati convenit proprium habere Episcopum; ita & unam Basilicam Deo dicatam decet & oportet proprium habere presbyterum*, & in fine, *hoc tamen specia-*

liter eorum ſolertiæ providendum eſt, ut hac occaſione nullus Presbyter duas, avaritiæ cauſa, quibus ſufficere ſecundum divinum cultum nullatenus poteſt, habere audeat Baſilicas. Nullum erat ea ætate omnis functionis expers Beneficium & reſidentiæ; Beneficia ſimplicia, ſolo ritu Tonſuræ Clericalis initiatis competentia, nondum eruperant per fiduciam & in commendam poſſidenda, adeòque Concilium Pariſienſe quæſtionem quam diſcutimus nihil attinet.

II. Idem diverſæ partis ſcriptor Larroquanus ſubinde prodidit Canonem XLIX. Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, qui anno DCCCLVIII. Chriſti, Regni Caroli Calvi XVIII. Collectionem Canonum à Clericis ſuæ Eccleſiæ memoriter tenendam fecit & ſic ſe habet, *ut Presbyter non amplius quam unam Eccleſiam habeat, ſicut & vir unam uxorem.*

RESPONSIO.

Hic Canon ſpectat Beneficia quibus

functiones annexæ permanserunt & legi residentiæ obnoxia sunt, quales sunt Curæ Parochiales, Canonicatus & Episcopatus. Concilium Metense annis triginta celebratum post hanc Collectionem Herardi, anno DCCCLXXXVIII. sub Pontificatu Stephani quinti, anno I. regni Odonis Regis Metensis, eandem legem sancivit, qua quidem multitudinem Beneficiorum quibusdam in casibus minimè prohibitam esse declaravit. Canone scilicet 3. *Unusquisque Presbyter unam solummodo habeat Ecclesiam, nisi fortè antiquitùs habuerit Capellam vel membrum aliquod adjacens sibi, quod non expedit separari. Est enim multùm laudabile coram Deo & hominibus si unus Presbyter unam Ecclesiam salubriter providerit & utiliter rexerit, quoniam non est nobis Cura animarum adhibenda pro temporali commoditate, sed cunctis sacerdotibus est optandum, ut cum suis ovibus à Christo recipiant pascua vitæ æternæ.* Eo enim consilio dispensationis

Concilium II. Nicænum, centum ab hinc annis, ut suprà observavimus capite x, dixerat *cæterum in villis quæ foris sunt propter inopiam hominum indulgeatur.*

III. Objiciuntur Nicolaus secundus Papa qui anno MLIX. in Conc. Rom. deditâ operâ Beneficiorum multitudinem condemnare & penitùs abrogare videtur. *Nec aliquis Presbyter duas Ecclesias simul obtineat*; & Urbanus secundus in Concilio Claromontano anni MXCV. Canone 12. *Et nulli Clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas Præbendas obtinere, cùm duos Titulos non possit habere.*

RESPONSIO.

Constat manifestè priorem canonem Nicolai secundi spectare solitarios Presbyteros, scilicet Parochos, quibus accuratè interdictum est coagmentatione plurium Ecclesiarum Parochialium; posteriorem verò Urbani secundi attinere solùm Præbendas & Canonicatus, qui Beneficia sunt

instar Curarum Parochialium propter functiones & residentiam repugnantia & insociabilia. Eodem animo Alexander secundus Papa in Concilio Romano anno MLXIII. *vetavit ne aliquis Presbyter duas Ecclesias obtineat:* eaque de causâ Sylvester secundus vehementer animadvertit & lite contestatâ abdicare amplitudine Episcopali decreverat in Concilio Romano anno DCCCCXCVII. Giselerum Magdeburgensem Episcopum, *quia duas Parochias teneret*, hoc est, duas Diœceses, duos Episcopatus ut refert Dithmarus; ex quo intelligimus hunc Episcopum Paralysi affectum pœnas sibi jure meritò imponendas non dedisse. Concilium Pictaviense anno MCIX, jussu Paschalis secundi Summi Pontificis celebratum, prohibuit, quominùs *quis in duabus Ecclesiis duas Præbendas, aut duos honores obtineret.*

IV. Profertur Epistola Calixti secundi Papæ ad Gilbertum Episcopum & Canonicos Parisienses anni

MCXXVI. in quâ, inquit Larroquanus *Beneficiorum pluralitatem non approbat*, ex tom. 2. Miscellaneorum Balluzii, pag. 197. quam accessione cumulat Epistolæ Lucii tertii Pontificis, ab ejusmente non alienioris, contra multitudinem Beneficiorum, quam assumpsit Minister ex tertio tomo Spicilegii Acheriani pag. 321.

Responsio.

1°. Hæc Epistola Calixti secundi carpit usum perversum, quo eâ ætate Canonici Ecclesiarum Cathedralium, ad amplitudinem Episcopalem evecti, cùm Episcopatu Canonicatum conjunctìm tenebant, adeoque in discrimen cadebant multitudinis Beneficiorum functionibus & residentiâ repugnantium, quam semper Ecclesiæ horribilem, ac pertimescendam, extra casus necessitatis singulares, visam fuisse non dubium est. Hæc sunt verba hujus Epistolæ quæ Minister in suis adversariis prætermisit. *Juxta Sanctorum Canonum censuram de-*

cernimus, ut si aliquis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus ad Episcopatus honorem fuerit promotus, & alterius Ecclesiæ gubernacula Beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est privetur Ecclesiæ Canoniâ. Insuper Epistola Lucii tertii Beneficiorum sociabilium, ac nulla ratione functionis, aut residentiæ repugnantium coagmentationem quam defendimus non spectat; quod ex conceptis verbis intelligitur Epistolæ Lucii tertii ad Petrum Episcopum, Goffridum Decanum & Canonicos Carnotenses. *Autoritate duximus Apostolica statuendum ut honores Carnotensis Ecclesiæ aliis de cæterò minimè concedantur, nisi qui secundum antiquam & rationabilem consuetudinem residentiam se promiserunt habituros. Si autem post promissionem suam hæc nequaquam impleverint, ab ipsis honoribus reddantur alieni. Ad hæc autoritate Apostolicâ inhibemus ne quis in Ecclesia Beneficium habens in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut plebanum Presbyterum admittatur, nisi priori cesserit Beneficio.*

ficio & proprio fuerit Episcopo absolutus.

V. Addit Minister librum autoris anonymi sub titulo *Aurei speculi Papæ, ejus Curiæ prælatorum & aliorum spiritualium*, quem publici juris fecit Wolfgangus Wissembergius, diversæ partis scriptor, Basileæ anno MDLV. Typis Oporini. In quo hic autor anonymus, qui scripsit circa annum MCCCCIV, adversus Beneficiorum multitudinem stomachatur pag. 381. *Similiter*, inquit, *super pluralitate* Beneficiorum *dispensare vel quomodò libet aliter absolvere & quotiescumque Papa vel alius recipit pecuniam, pretium, obsequium vel favorem pro actu ejusmodi conferendi, dispensandi, absolvendi, aliàs non facturus, hoc non videtur jam nec est nudus minister sivè executor dictæ potestatis Apostolicæ, sed pro libito suo sic faciens usurpat in eo dominium, & per consequens injuriam facit vero Domino.* Minister addit idem docere Hermannum Ryd ibidem de vita & honestate Clericorum anno MCCCCLXVII. pag. 629.

Antilogiæ Papæ, nec ab illis seorsum abiisse Abbatem Wolkuinum in eadem Antilogiæ collectione pag. 731. & 739. Poterat etiam addere quod refertur ab Episcopo Chiemensi, Salisburgensis Archiepiscopi suffraganeo, Oneris Ecclesiæ capite 23. numero 5. pag. 127. de *criminibus communibus Cleri.*

RESPONSIO.

Postpositâ disquisitione de autoritate libri anonymi & satyricis salibus defricantis perversos usus Curiæ Romanæ, conscripti tempore Bonifacii noni, ex qua supervacaneam esse hanc objectionem intelligere facile est *non pravè sectum stomachatur ob unguem* *. Respondeo locum à Larroquano assumptum non tam spectare in re Beneficiariâ multitudinis quàm simoniæ vitium, quod tunc temporis Romæ flagrabat vehementer, dispensationibus ad plura Beneficia quæ solo intuitu emungendæ crumenæ & pecu-

* Horat.

niæ comparandæ liberaliter dabantur. Idem dico de tractatu Hermanni Ryd Reem de vita & honestate clericorum, inquo ne verbum quidem occurrit de multitudine Beneficiorum sociabilium quam defendimus. Sed nervosè probat solummodo pag. 629. simoniam esse peccatum gravissimum, nec verba Pontificis Romani efficere posse ut quod vitium est in virtutem transferatur. Idem dico de Homiliâ beati Wolkuini Abbatis Sidichembechensis, cujus indigitat Minister paginam 731. in quâ fervore pietatis quasi fulgetra & tonitrua vibrat, in multitudinem Præbendarum, Curarum Pastoralium, & Episcopalium infularum, & generatim ac generaliter adversus coagmentationem Beneficiorum, instigatione cupiditatis & avaritiæ condensatam. Hæc enim verba Wolkuini quæ Minister consultò prætermisit abundanter significant. *O Clerice vel Canonice, tu qui plures Præbendas, Beneficia, altaria*

commissiones, obsequia, dignitates, prælaturas, provisiones, tu qui plures habes Ecclesias, an ignoras quod sub uno corpore plura capita, vel sub uno capite plura corpora tibi constituis & monstrum te facis? De cætero referre locum Episcopi Chiemensis, Salisburgensis suffraganei, abundanter sufficit ad probandum, solitariam multitudinem Beneficiorum insociabilium seû functionibus ac residentiâ repugnantium inter crimina communis Cleri recensuisse. *Plura prætereà Beneficia, etiam quæ ipsi incompatibilia vocitant, perverse simul occupant. Ecce, quod jus vel natura simul consistere non patitur, quia est incompatibile, malitia cleri conglutinat. Quin etiam nonnulli gloriantur plures obtinuisse Præbendas quibus censum accumulare & suam pompam ostentare valeant.* Continuo sermone citat Gersonii locum de statibus Ecclesiasticis, in quo solitariam multitudinem præbendarum carpit. *Ubi est quod Clerici in duabus civitatibus vel diæcesibus præbendas habent?*

VI. Tandem Minister ad intima antiquitatis viscera revertitur, & his verbis interfatur pag. 380. libri 2. Adversariorum sacrorum. » Sacri quidem Canones à pluralitate Beneficiorum ita abhorrescebant ut ne « immò Abbatibus duobus præesse « monasteriis permitterent. Canon « Concilii Venetici anno CCCCLXV. « *Abbatibus quoque singulis diversas cellas aut plura monasteria habere non liceat, nisi tantùm propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.* « Et Canon XXXVIII. Concilii Agathensis anno DVI. totidem verbis idem prohibet & Canon LVII. *Unum Abbatem duobus Monasteriis interdicimus præsidere.* Hic ultimus Canon est nonus Concilii Epaonensis anni DXVII.

RESPONSIO.

Neutiquam venit in mentem patribus Concilii Venetici cogitatio de multitudine Beneficiorum; solummodò pluribus cellulis uti vetat monachis & eis extra septa monasterii in-

terdicit. Similiter Abbatibus prohibet quominus alia monasteria præter illud cui præsunt ædificent, ne tempore belli incursibus hostium vexentur. *Nisi tantùm propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.* Ex hoc igitur Canone prohibitionem coagmentationis Beneficiorum assumere, est ex pumice aquam trahere. Enimverò dato non concesso, interdictum fuisse Abbatibus Monasteriorum multitudine, saltem in casu hostilitatis admissam fuisse dubitandi locus non relinquitur, dummodo intra septa monasterii cellulæ, immò & monasteria illa effierint. Iisdem verbis constat Canon xxxviii. Concilii Agathensis adeoque discrepanti sensu explicari non potest. Restat igitur Canon ix. Concilii Epaonensis anni dlvii. *Unum Abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.* A quo assumptam objectionem friare & retaliare non arduum est. Enimverò verbum *præsidere* duo tantum significare

poteſt. Vel, ſecundum antiquam & veram Latinitatem, *opem ferre*, Gubernare, regere, curam habere, ducere, ut apud Ciceronem Orat. pro Sylla. *Vos dii Patrii & penates qui huic urbi atque huic imperio præſidetis.* Virgil. Æneidos 7. *Arvis præſidet Jupiter.* Cicer. pro lege Manilia *Templo præſident dii.* Sed cum hodierni Abbates & Priores commendatarii autoritate Eccleſiæ, omni cura & adminiſtratione monachorum immunes ſint, ejuſmodi Canon multitudinem Abbatiarum non ſpectat. At verò ſi verbum præſidere ſignificat *ſuperſedere*, ut defendit Doctiſſimus Ducangius in ſuo mediæ & infimæ Latinitatis gloſſario, & probat ex ſecundo Concilio Chloſeroſoniæ habito, tempore Zachariæ I. Papæ, ſub Imperio Conſtantini Copronymi, anno Chriſti DCCXLVII. Canone 3. *Ut ſingulis annis unuſquiſque Epiſcopus Parochiam ſuam pertranſeundo & circumeundo non præſideat,* Certum eſt ejuſmodi Cano-

nem IX. Concilii Epaonensis nihil attinere nec respicere multitudinem Beneficiorum, adeoque perperàm & in vanum proferri; sed solummodò lustrationem parœciarum cui supersedere vetat & prohibet vehementer.

FINIS.

INDEX AUCTORUM,

Qui in hac disquisitione de re Beneficiariâ, citantur probantur vel refelluntur.

A

C

F

G

H

I

L

M

N

Odo

O

P

Cc

Q

R

S

T

V

Z

FINIS.

ERRATA.

Pagina	*Linea.*	*Errat.*	*Correct.*
1	titulo.	ΑΝΑΧΡΙΣΙΣ.	ἈΝΆΚΡΙΣΙΣ.
13	13	loquantur.	loquuntur.
13	9	E T.	&.
15	8	obruantur.	obruuntur.
17	7	Domine.	Domini.
18	7	Trenensis.	Trecensis.
ibid.	15	Prioratum.	Prioratuum.
19	16	divini.	dividi.
22	22	Provincia.	Provinciæ.
36	7	nulla.	nullam.
38	5	cum.	eum.
ibid.	24	sylvanectis.	sylvanecti.
41	24	Edificent.	Ædificent.
45	18	domini.	domnî.
61	5	dux erat.	duxerat.
63	5	concedabatur.	concedebatur.
79	4	verba.	verbo.
83	3	Hüic.	Hinc.
117	23	antographo.	autographo.
118	10,19	*ibid.*	*ibid.*
125	23	Hác.	Hæc.
129	16	accedit.	audit.
142	11	quidam.	quidem.

Pagina	*Linea*	*Errat.*	*Correct.*
202	7	dſtribui.	diſtribui.
ibid.	8	reductos.	redactos.
203	13	Cajetavum.	Cajetanum.
ibid.	16	Ratonabilem.	Rationabilem.
207	2	Beneficiornm.	Beneficiorum.
209	14	ſub eſt.	ſubeſt.